# *HOPHNI & PHINEES,*

SIVE

*Impietas Sacerdotum publicæ impietatis causa:*

# CONCIO

HABITA IN

TEMPLO B. *MARIÆ,*

PRO

GRADU S.T.B.

JUL. 19. 1729.

A JOHANNE BURTON S.T.B.
C.C.C. OXON. SOC.

EDITIO SECUNDA.

*OXONIÆ,*
E THEATRO SHELDONIANO.
Prostant apud J. FLETCHER, Bibliop. Oxon. & J. FLETCHER, in Cœmeterio *Paulino*, LOND.
MDCCLXI.

# CONCIO

HABITA IN

TEMPLO B. MARIÆ

BRITISH MUSEUM

A JOHANNE BURTON S.T.B.

C.C.C. Oxon. &c.

CONCIO SECUNDA.

OXONII,

E THEATRO SHELDONIANO.

Prostant apud J. FLETCHER, Bibliop. Oxon. & J.

FLETCHER, in Comitatu Pauli, Lond.

MDCCLXI.

REVERENDO VIRO

*HENRICO GODOLPHIN*

S. T. P.

ECCLESIÆ CATHEDRALIS *PAULINÆ*

RESIDENTIARIO,

COLLEGII *ETONENSIS*

PRÆPOSITO.

CONCIONIS hujuſce Argumentum admonuit ut hominis Clerici nomen præſcriberem, & quidem Illius, qui debita pietatis Sacerdotalis, quæ deſcripſimus, officia Exemplo commendat.

Puderet profecto hominis Eccleſiaſtici titulos numerare, niſi iidem ſimul extarent totidem meritorum teſtimonia: & ingrata foret Fortunarum commemoratio, niſi quæ ſecum adjuncta traheret & Virtutum præconia.

At vero in excelſo loco Pauperioris Cleri meminiſſe & miſereri: in Illius ſubſidium ſua Eccleſiæ beneficia quodammodo redonare: Dignitatem ampliſſimam eadem, qua ornaverat, animi Magnitudine deponere: hæc qui fecerit ſingularis Auctor, documenti, ſive illinc Pietatis munificæ, ſive hinc Abſtinentiæ, vel Amicitiæ ſpectetur laus, non ego eum cum ſummis hujuſce ſæculi viris Cathedralibus comparo, ſed ſanctioribus temporum primævorum Patribus ſimillimum judico.

Beatus ille, qui vita poteſt priore ita frui, ut cum gaudio proſpiciat futuram!

Cui

Cui autem unice debetur virtutum tantarum honos — Illum agnoſcent aliquando & poſteri, ad quos, ſive munificentiæ fructus, ſive exempli fama pervenerit.

Veniam interea dabis officioſæ huic ambitioni, quæ Tuum, Vir Reverende, in Republica, in Eccleſia cum gloria jamdiu verſatum, nomen geſtit celebrare. Liceat admirari placidum illum honoratæ ſenectutis decurſum, qui ſemper aliquid apportat novi quod addat laudibus.

Felicitas tanta gratulationes noſtras poſtulat, non deſiderat vota, niſi ea quæ afferrent diuturnitatem.

Et mihi quidem tempus jam obtigit longe gratiſſimum, quo extare poſſet aliquod meæ erga Te obſervantiæ teſtimonium. Huic adeo qualicunque opuſculo benigne, uti ſpero, favebis, perinde ac ſcribentis conſilio: ut Eruditorum judicia minus adverſa experiatur quod

prodit

prodit Patrocinio commendatum Tuo: vel, ſiquid forſan inde periculi, hinc ſaltem accedat aliquid præſidii & honoris.

Me certe laboris illius ſuſcepti nunquam pœnitebit, quem aut Lectori aliquatenus profuiſſe, aut Tibi placuiſſe intellexerim

Omni

Honoris

& Benevolentiæ

Officio Devinctiſſimus

JOHANNES BURTON.

# CLERICO LECTORI

# S.

*CONCIONEM hancce, animo certe erga Eccleſiam benevolo à me conſcriptam, eodem & tibi perlegendam liceat commendare. Vides multiformis nequitiæ, qua gravior fere nulla à Sacerdotibus perpetrari potuit, exemplum deteſtabile: verum illius, quanta quanta per ſe fuerit, Atrocitatem impenſius exaggeravit damnoſa peccantium Auctoritas, quæque inde ad populum tranſiit, inexpiabilis mali contagio. Ideo* puerorum peccatum fuit grande nimis, quia retrahebant homines à Sacrificio Domini.

*En vero, quod tibi uſui ſiet, documentum! Ita iſthæc ad te pertinere puta, ut id in te verearis admittere, quod in alio videris, Deo judice, damnatum. Utcunque enim diverſi reperiantur cultûs Divini Ritus temporibus diverſis inſtituti, at ſemper eſt Deus idem colendus, eadem ſemper Religio-*

*nis*

*nis promovendæ cura; adeoque Miniſterii Sacerdotum omnium, quotquot, per vitæ nefariæ dedecus, impietatis publicæ auctores extiterint,* peccatum *fore ſemper* coram Domino grande nimis.

*Si quæras quo jure ad* Chriſtianum *nomen transferri poſſit hæc cenſura, en tibi* Pontificiorum *cauſam exhibui, cum profanis Sacerdotum* Iſraeliticorum *moribus criminum cognatione quadam conjunctam. Abſit tamen ut ad Clerum Univerſum transferendam eſſe exiſtimem. Inter enim corruptelarum totidem immanitatem credo apud ipſos, ſicubi uſpiam, ſinceræ pietatis exempla conſpici: &, quæcunque fuerit venalium ſacrificulorum Cathedralium infamia, meliorem tamen eſſe Sacerdotum Paræcialium cauſam. Imo Concilium iſtud* Tridentinum, *utcunque impios, quoad Doctrinam, errores confirmaverit, at de morum reformatione exigenda auſpicatius conſuluit: ut qui de dogmatum veritate judicare aut recte non poterant, aut libere non audebant, iis ſaltem ad vitam bene dirigendam non deeſſet pii Sacerdotis exemplum. Fuit quidem illud præclare conſtitutum. Fas erat nobis hac in parte et ab hoſte doceri. —— Piget profecto miminiſſe malignæ iſtius laudis, quam ab Archiepiſcopo illo* Spalatenſi *Eccleſiæ noſtræ tribui accepimus,* Nihil non, *inquit,* ibi Reformatum video, præter Mores.

Cleri

## 1 Reg. II. 17.

*Erat ergo peccatum Puerorum grande nimis coram Domino; quia retrahebant Homines à ſacrificio Domini.*

SACRA paſſim Hiſtoria Jehovam nobis exhibet iratum honoris læſi vindicem: eo nimirum conſilio, ut, quæcunque ad ipſum auctorem propiori jure pertinent, ea admoniti cautius & reverentius adminiſtremus, cum impune violari non poſſe videamus.

Cum autem ex inſtituto Divino tam ad Perſonas quam Res tranſeat derivata ſanctitas, ſi, quorum miniſterio promoveri & ornari debuit, Religio eorundem per nequitiam aliquid detrimenti acceperit, quid aliud expectandum fuerit, quam, quòd cum tantâ exaggerati ſceleris atrocitate Dei pariter ultoris ingraveſceret indignatio? Inde adeo Sacerdotum crimina ubique cenſura acriori notata comperimus, & graviſſimo violati Numinis judicio damnata; ut, quorum mores non poterant, eorum ſaltem ſupplicia gloriam divinam illuſtrarent.



[a] *Si,*

*Si*, in cauſis civilibus, *contra Proximum quis deliquerit, crimen judicabit Magiſtratus*; & cognoſcendi, forſan & ignoſcendi dabitur locus: At vero, in re ſacra, *contra Jehovam ſi quis peccaverit, quænam reſtat aut deprecatio pœnæ, aut expiatio ſceleris?* Sacerdote profano in conſpectu Jehovæ nihil planè deteſtabilius; nihil populo, ad quem propagatur impietatis contagio, perniciosius. Et illud quidem, cætera ſi deeſſent argumenta, abunde docet iſthoc, quod verbis modo recitatis continetur. *Hophni & Phinees* omnes omnium immanitates inaudito nequitiæ cumulatioris exemplo ſuperârunt.

*Erat ergo peccatum Puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant Homines à ſacrificio Domini.*

Verbis hiſce exhibetur Peccati Sacerdotalis atrocitas, — *erat peccatum grande nimis coram Domino*; — dein, qui inde ſubſequebatur, Religionis inſtitutæ contemptus; — *retrahebant Homines à ſacrificio Domini.*

Erit itaque mihi

I. Explicanda peccati, quod hic memoratur, magnitudo.

II. Generalis aſſertio probanda; quod perſonalia Sacerdotum peccata ſecum unà trahunt officii Sacerdotalis & Religionis contemptum; — unde

 III. Con-

III. Conſtabit quàm Sacerdoti neceſſaria ſit, ad religionem promovendam, tum in moribus privatis probitas, tum in publico miniſterio pietas.

Magnitudinem peccati quod attinet, eam ſanè in genere & breviter deſcriptam exhibet comma 12^um^. — *Filii autem Heli fuerunt Filii Belial:* — *ignorabant Jehovam.* Quid aliud video quam omnigeni ferè dedecoris compendium? Miniſtros Jehovæ! Sed eoſdem *Filios Belial!* quos oportuit Divinæ Legis conſultiſſimos eſſe, & obſervantiſſimos, ii prorſus *ignorabant Jehovam!* Quid aut Deo magis odioſum quam officii ſacerdotalis inquinata ſanctitas? Quid porro ad *Homines à ſacrificio Domini retrahendos* efficacius, quam publicum iſthoc impunitæ libidinis & contemptæ Religionis exemplum; cum, quorum miniſterio Deum ſibi propitium reddi poſſe ſperabant, eorundem ſceleribus indies ad iram provocari animadverterent?

Si qua porro *circumſtantiarum* momenta valeant, exinde video ſacerdotum flagitiis amplius quiddam atrocitatis accedere.

Quales enim viros peccâſſe comperimus? non gregarios, de infimo Levitarum ordine, ſacrificulos, ſed magni nominis ſacerdotes; ſed filios

*Iſraelitici* [a] Judicis ejuſdem & Pontificis, ſupremi Magiſtratûs, tum Civilis tum Eccleſiaſtici, & quidem Viri, (niſi quod nimiâ erga Ipſos lenitate peccaret) ſanctiſſimi.

Ipſa in excelſo collocata Dignitas debuerat ſaltem illos omnimodæ turpitudinis immunes præſtitiſſe; ſiquidem cum honoris contaminati amplitudine inſignior quoque infamia comes accreverit.

Quid iſthoc erat audaciæ, quod neque [b] Auctoritas paterna coercere, neque Conſilium flectere potuerat? & illud tantæ pietatis domeſticum exemplar quid aliud effecit, quàm ut degenerum Filiorum, quibus continuo impietatem fruſtra exprobraverat, inexpiabilis nequitiæ immanitatem illuſtraret?

Imo vero Ipſi, cum, in [c] rebus pleriſque tum Civilibus tum Eccleſiaſticis adminiſtrandis, Patris, præ ſenio jam emeriti, vices gererent, in Eccleſiâ, in Republicâ Principes viri eminebant: ita ut in Ipſos Auctores publica recideret impietas; imo, ut auctoritatis abuſu & exemplo viderentur, prope dixerim, infinite peccaſſe, populi etiam, quem corruperant, pœnas luituri.

At vero tantæ impietatis exemplum in eâ Republicâ extitiſſe, cui immediatè præſidebat Le-

a C. 4. v. 18. b C. 2. 24. c Vide *Joſeph. Antiq. Jud.* l. 5.

giſlator

giſiator Deus, toties ſeſe non fruſtra præſentem tremendo miraculorum indicio teſtatus; potuiſſe in Theocratiâ tantum ſceleris perpetrari, quis non iſthoc planè indignabundus miretur, & tantum non incredulus oderit?

De *circumſtantiis* hæc breviter notata ſunto.

De Peccati vero, cui unice ſubjungitur hæc Hiſtorici ſacri cenſura, *qualitate* ſi quærat quiſpiam, ſive *quali* potiſſimum in re fuerat admiſſum; ſciat illos in re momenti graviſſimi, in ipſo [a] *Sacerdotali miniſterio*, & quidem ita peccaviſſe, ut Legis, non *ceremonialis* modo, verum etiam *moralis* præcepta violaverint.

Utriuſque ſane idem eſt & Auctor & Vindex Deus: ſed, pro utriuſque ratione diverſâ, Illius violationem, pœnâ longe ſeveriori, quam Hujus, reprimendam judicavit. Cujus rei cauſas ſi quærat quiſpiam, de utriſque hæc mecum unà cognoſcat.

Legis quidem *moralis*, quæ in illâ immutabili & æternâ rerum mutuâ inter ſe habitudine fundatur, Auctoritatem ipſa per ſe Ratio luculenter aſtruit; ideoque minùs deſideratur Legiſlatoris uſque repetita confirmatio; cum, qui in hac parte peccaverit, Rationi ipſi bellum indixiſſe videatur. At vero Legis *ceremonialis* longe diſpar cauſa; Illius neceſſitatem, quæ præcipue in

[a] V. 13.

Dei

Dei imperantis voluntate poſitiva fundatur, cum ipſa per ſe Ratio non evincat, idcirco ſapientiæ Divinæ conſentaneum videtur renovati aliquando teſtimonii auctoritate ſtabilire; &, nequis forte, ut rem plane adiaphoram, aut imprudenter negligeret, aut protervè contemneret, ſæpius interpoſitis pœnarum miraculis vindicare; proinde, utcunque apud ſacros ſcriptores legis *moralis* impune violatæ fœdiſſima paſſim occurrant exempla, at Religionis promovendæ cauſa poſtulavit, ut, cujus neceſſitatem *res ipſa* non ſuggereret, illius obſervantia *aliunde* inculcaretur, atque adeo Legis *ceremonialis* reverentiam incuterent nova terrorum documenta, & ſanctiones, quaſi à Deo Vindice denuo promulgatæ.

Hi vero ſacerdotes nequiſſimi ita *ignorabant* [a] *Jehovam*, ut *Leviticæ* Legis præcepta aut ultro neſcirent, aut contemnerent; nec pœnarum, quarum impreſſa adhuc extabant veſtigia, exemplis admoniti caverent; imo denique Jehovam ita non agnoſcerent Legiſlatorem, ut nec reformidarent Ultorem.

Ut vero in *quantum* peccaverint facilius intelligi poſſit, pauca quædam, quæ de ſacrificiis Lex *Levitica* præceperat, non abs re fuerit annotare.

a Conf. v. 13. *&c.* cum *Lev.* c. 3. & 7.

Et

Et Illa quidem pro diverſis cauſis inſtituebantur diverſa; ſed ad tria potiſſimum genera revocari poſſunt omnia.

Aut enim unice in honorem Dei offerebantur, [a] ut *Holocauſta*; quibus nullum extitit antiquius, nullum pietatis publicæ aut privatæ monumentum magnificentius.

[b] Aut, pœnam peccatis debitam, deprecandi cauſâ, ut ſacrificium *Piaculare*: per quod humana imbellicitas & pœnitentia, divina vero agnoſcitur juſtitia & miſericordia.

Aut denique, quod noſtram ad rem potiſſimum ſpectat, ſacrificium [c] *Pacificum*; & illud quidem aut εὐκτικὸν, aut εὐχαριστικὸν, prout beneficia proſpicit impetranda, aut reſpicit impetrata.

Prioris generis victima, cum, in rerum omnium Conditoris, Servatoris, Dominique gloriam unice fuerit inſtituta, in integrum omnis ita Deo devovetur, ut nulla populo, nulla ſacerdoti comedenda cedat pars: tota flammis abſumpta, [d] in odorem ſuavitatis aſcendit.

Victima *piacularis*, cum is, à quo offertur, piaculi reus apud Deum habeatur, & proinde ſacro convivio plane indignus, aut omni ex [e] parte debetur Deo, aut partim etiam [f] Sacer-

a *Lev.* c. 1. b *Lev.* c. 4. & 5. c *Lev.* c. 3. d *Lev.* c. 1. 9. e *Lev.* c. 4. 12. & c. 6. 30. f *Num.* 18. 9, 10. *Lev.* 6. 26.

doti.

doti. Deo quidem [a] adeps omnis, pro more adolendus, reliqua Sacerdoti.

At vero Victima *pacifica*, cum, ſupplicationis aut gratulationis nomine oblata, Numen adhibeat propitium, & inter Deum, Sacerdotem, Populumque fœderatæ cujuſdam amicitiæ, & quaſi hoſpitii ſit pignus & argumentum, ideo Omnibus diviſo jure tribuitur. [b] Adeps omnis, primitiarum inſtar, Deo; [c] Sacerdoti dexter armus & pectuſculum, Populo [d] reliqua.

In hoc potiſſimùm Sacrificii genere obeundo verſabatur pietatis *Iſraeliticæ* magna pars; quod, ſive quis [e] Euchariſticum; ſive [e] Voluntarium, ſive [e] Votivum appellaverit, cum ex liberæ pietatis motu offerri videretur, ideoque genuinum Religionis internæ ſenſum teſtari, facile crediderim fuiſſe Deo longe gratiſſimum; & proinde eos rem ingratiſſimam feciſſe, qui hanc cultûs divini partem ita polluebant, ut etiam fere abrogarent.

Videte ergo quam *grande nimis erat Illorum peccatum*, quorum ſacrilega impietas *retrahebat Homines ab hoc ſacrificio Domini*. Videte peccatum, [f] quale ſacrificium omnino nullum expiare potuerat; multiforme quidem illud, unum inſtar omnium: peccatum contra Seipſos, contra

a *Lev.* c. 4, 10. b *Lev.* c. 3. 5, 11, 16. c C. 7. 31, 32.
d 7. 15, &c. e 7. 15, 16. f 1 *Reg.* 3. 14.

Proxi-

Proximum, contra Deum: Luxuriam, Rapinam, Sacrilegium.[a]

Videte imprimis Sacerdotum Luxuriam, faſtidioſam plane illam & inſatiabilem; cui nè alimenta & lenocinia deeſſent, jura tum divina, tum humana petulantius invaſerunt.

Nequicquam de Victimis fuerat præceptum, ut, præter Agnum Paſchalem, elixatæ comederentur omnes; proh nefariam hominum libidinem! Illi Gulæ potius, quam Deo, ſervire ſatagentes, novos imperârunt ritus, priſtinos ſuſtulerunt. Tædebat illos quotidiani victûs,[b] tædebat continuò carnibus veſci macilentis, elixatis, & quaſi bis emortuis: ſed crudas adhuc, necdum elixatione corruptas, poſtulârunt, more novo ſibi delicatius coquendas.

Quin & Luxuriem comes rite ſequebatur Avaritia, & Latrocinium; eò intolerabilius, quia

a Hiſtoriæ hujuſce compendium *Joſephus*, cujus verba in ſubſidium ſæpius advocare non piget, Antiq. *Jud.* l. 5. ſic exhibet.

Ηλει δε τω Αρχιερει δυο παιδες ησαν, Οφνις και Φινεισης· ουτοι, και πως ανδρωπους υβριςαι γενομενοι και πως το θειον αστοεις, κδενος απειχοντο παρανομηματος· και τα μεν εφεροντο των αλλων κατα τιμην, τα δε ελαμβανον αυτοις αρπαγης τροπω, γυναικας τε επι θρησκεια παρανομουμενας υβριζον φθοραις, ταις μεν βιαν προσφερομενοι, ταις δε δωροις υπαγομενοι· τυραννιδος δε ουδεν απελειπεν ο βιος αυτων ο τε πατηρ επι τουτοις αυτοις χαλεπως ειχεν, οσον ουδεπω προσδοκων ηξειν εκ θεου τιμωριαν επι τοις πραττομενοις· το τε πληθος ηδυσφορει.

b 1 *Reg.* 2. 15.

ex laſciviâ ortum, non neceſſitate; in opprobrium liberalitatis divinæ, quæ multiplici beneficiorum genere Sacerdotium locupletaverat. Dotatio tam opima, quæ Laicis poterat invidiam movere, merito videbatur ipſis omnem præcidere avaritiæ cauſam, & rapinæ excuſationem.

Sed nequicquam Deus Sacerdotum & Laicorum jura definiverat, Illi novas ſacrificiorum leges invexerunt; & auctoritate, quâ quidem ſummâ præpollebant, male uſi, præter armum dextrum & pectuſculum, quæ ſola ſibi jure debebantur, aliena etiam ſibi nefarie vindicarunt. [a] *Immiſſa in lebetem fuſcinula, quicquid adhæreſceret una rapuerunt, renitentibus quibuſcunque violentiam inſuper interminati.*

Audire videor *Iſraelitam* quendam, cui illata erat injuria, Religionis cauſam tanta cum ſollicitudine & modeſtiâ vindicantem quantâ cum audaciâ & impietate Sacerdotes prodiderunt & inquinârunt. [b] *Sinite quæſo*, ut, quem præcepit Deus, ordo obſervetur; *imprimis, ut par eſt, adoleatur adeps:* ſua imprimis Deo tribuantur jura; ipſe de privato jure facile cedam; *de meo ſumite quantumcunque anima deſiderat*, cultus modò divinus ne polluatur.

a V. 13, 14. 16. b V. 16.

Quem

Quem non movere poterat illa Laicorum modeſta ſanè, omnique opprobrio ſeverior expoſtulatio? — at non Illos commovit, apud quos nihil valebat ipſius Jehovæ reverentia. Rapinæ enim & Popularium injuriis acceſſit inſuper Sacrilegium: noluerunt enim, prout ex jam ante dictis conſtat, expectare, dum elixarentur carnes & extraheretur adeps omnis, Deo pro more adolendus; ſed quicquid vi temere rapuerunt, ſive Deo debitum, ſive aliud quidpiam, id omne ad epularum lautitiam comparârunt, [a] *Seipſos magis quam Jehovam honorantes, dum primitias cujuſque Sacrificii comederent.*

Quis ergo non videt *peccatum Puerorum fuiſſe grande nimis*, ſi ratio habeatur illius ſolummodo, quod in munere *ſacerdotali* exequendo admiſerant? Quanquam quid admitti poterat atrocius quam illa Officii triplicis, quod ſuſtinebant, violatio? officii *Regalis*; quoad regimen Eccleſiæ, cujus diſciplinam proſtraverant; *Sacerdotalis*; quoad Sacrificiorum oblationem, quorum ritus immutaverant; aut demum *Prophetici*; quoad explicationem Legis, quam perfide neglexerant; Ipſi ita penitus Jehovam ignorantes, ut Populum adeo non doctrina adjuvarent, ut exemplo in moralem quandam peccandi neceſſitatem adduxerint.

[a] V. 29.

Quod ſi quis porro Ipſorum vitam univerſam, moreſque privatos, & facinora demum omnia perſpexerit, quibus Legem tum *ceremonialem*, tum *moralem* nefariè violaverant, intelliget profecto nihil omnino ad conſummatiſſimi dedecoris & impietatis cumulum adimplendum deſiderari.

Cuinam illico aures non tinniant audienti vitæ tam execrabilis non exitum modo luctuoſum, ſed decurſum ipſum incredibiliter vitioſum, non ſupplicii modo divinitus impreſſi acerbitatem ſingularem, ſed ipſius nequitiæ ſtupendam immanitatem? Quid memorem probroſæ libidinis exempla, cum Mulieribus, quæ Religionis ergô confluxerant, concubitus nefandos, in ipſo Tabernaculi veſtibulo, & propioris Dei conſpectu? — Quid intactum nefaſti reliquerint Homines ita impudenter nequam? Cuinam hæc intuenti non commoveretur animus, & ipſa in indignationem prorumperet pietas mitiſſima?

Quid interea Laici? quorum alii quidem ægre ferebant jura ſibi Sacerdotum latrocinio imminui; alii forſan Ipſis luxuriem invidebant; alii demum Majeſtatem Divinam ita proterve lædi indignabantur; quid ſentiebant; quid moliebantur? id nimirum, quod irátis & dolentibus res ipſa ſuggeſſit, ut, quorum ſcelera deteſtabantur, eorum etiam miniſteria contemnerent.

Atque

Atque illud adeo ſubmonet ut ad generalem hanc aſſertionem probandam accingar, viz. quod perſonalia Sacerdotum peccata ſecum unà trahunt officii Sacerdotalis & ipſius Religionis contemptum.

Verum hic loci, orationis præmuniendæ gratiâ, illud annotandum arbitror, quod Articulo viceſimo ſexto *Anglicana* docet Eccleſia, ſcilicet, quod inſtitutionum divinarum efficaciam, quæ unice ab Auctoris Dei arbitrio derivatur, Sacerdotum, ut neque adfert pietas, ita neque tollit impietas; cùm fieri nequeat, ut potentiam Divinam irritam redderet imbecillitas humana.

Unde ſequitur, peccare Laicos, qui, præ odio Miniſtrorum, Miniſterium ipſum averſantur. [a] Ἐπὶ τῆς Μωσέως καθέδρας ἐκάθισαν οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι· πάντα οὖν, ὅσα ἂν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν, τηρεῖτε, καὶ ποιεῖτε· κατὰ δὲ τὰ ἔργα αὐτῶν μὴ ποιεῖτε· λέγουσι γὰρ, καὶ οὐ ποιοῦσι. Quorum ſcelera redarguit damnatque, eorundem auctoritatem revereri juſſit Chriſtus. Quare diſcrimine habito fiat judicium: nec Doctrinæ puritati obſit Docentis improbitas: ne, dum Hominem deteſtamur, Deum ipſum videamur contemnere.

Cum Sacerdotis ſit munus populum non modo præcepto docere, verum etiam exemplo dirigere, erit ſane Illius hac in parte de-

[a] *Matt.* 23. 2, 3.

linquentis

linquentis crimen longe atrocius; erit tamen populi decepti error culpabilis: fuerit ſane Illius pravitas execranda: at non Hujus temeritas excuſanda. [a] Οὐαὶ τῷ κόσμῳ ἀπὸ τ σκανδάλων· ἀνάγκη γάρ ἐστιν ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα· πλὴν ἀὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ, δι' οὗ τὸ σκάνδαλον ἔρχεται· ea potiſſimum de cauſa, quia profanos Sacerdotum mores cognatione quadam delicti ſequitur ipſius *Officii* Sacerdotalis contemptus. Illud autem fieri dicimus non *directè*, & *neceſſitate Phyſicâ*, ſed *indirectè*, & *cauſalitate morali*; non, quaſi Illorum impietas Populi pietatem omnem neceſſario extinguat, ſed quod, prout humana jam comparatur natura, hoc fere ſemper accidere ſoleat. Quis enim neſcit maximam mortalium partem affectuum impetu potiùs quam ratione duci? & quibuſdam momentis omnium animos facilius trahi, & quaſi incitamentis adhibitis, ad certam actionum ſpeciem imprudentes impelli? Jam vero, cùm incitamenta iſthæc, alterius ingenio accommodata, Alter ita ſubminiſtret, ut rite ſequatur moralis effectus, conſtat, Alteri, quippe aliquatenus Auctori, Alterius actiones merito imputari poſſe.

Facti documenta quæritis? id, de quo agitur, argumentum recolite; ſi qua enim in re magna fuerit exempli vis, in hac certe re fuit maxima.

a *Matt.* 18. 7.

Sacer-

Sacerdotes nihil mediocre, nihil mere privatum aut facere aut pati videntur; in quantum Ipſorum pertingit Auctoritas, in tantum propagatur Publici ſive beneficii gratia, ſive damni contagio. Illorum unice in moribus, penè dixerim, ſpirat vigetque ipſa Religionis anima; quibus corruptis nihil plane corruptius; ſiquidem comitem una habuerit & Reipublicæ corruptelam. [a] Ὑμεῖς ἔστε τὸ φῶς τοῦ κόσμου· [b] εἰ οὖν τὸ φῶς τὸ ἐν ὑμῖν σκότος ἐστὶ, τὸ σκότος πόσον; Si, qui cæteris lucem præferre debent, iidem tenebris oppreſſi vagentur, quàm illico extinctus jacet omnis Religionis ſenſus! Populi error quam inevitabilis! [c] Ὑμεῖς ἔστε τὸ ἅλας τῆς γῆς, non doctrinæ modò, ſed etiam Vitæ puritate, ἐὰν δὲ τὸ ἅλας μωρανθῇ, ἐν τίνι ἁλισθήσεται; εἰς οὐδὲν ἰσχύει ἔτι, εἰ μὴ βληθῆναι ἔξω, καὶ καταπατεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων.

Age vero, hanc Sacerdotum cauſam penitius excutiamus. — Videmus itaque Eorum, quæcunque fuerint peccata, aut in ipſa *adminiſtratione Sacerdotali*, aut in *moribus privatis extitiſſe*; quocunque demum modo admiſſa dixeris, videbis utrobique Religioni injuriam graviſſimam inferri.

Prioris generis peccatum ſi quod atrocius inciderit, cum per illud immediate Jehovæ Legiſlatoris majeſtas impudentius lædatur, & pro-

a *Matt.* 5. 14. b *Matt.* 6. 23. c *Matt.* 5. 13.

inde

inde populo inſpicienti aut incutiatur horror, aut provocetur indignatio, aut etiam confirmetur impietas: quod res ipſa ſatis loquitur, non eſt quod operoſius dicendo proſequar.

Unde autem eveniat, quod à *perſonalibus* & *privatis* Sacerdotum vitiis ad Religionem ipſam tantum detrimenti redundet, libet hujuſce rei cauſas breviter diſquirere.

Sunt vero Illæ pro diverſis hominum ingeniis diverſæ.

Sive enim imprimis cum indoctiori vulgo & tardioris ingenii viris res agatur; quid inde? Hi quidem, Miniſtrum & Miniſterium quid intereſt, parum dignoſcunt, utriuſque ſanctitatem juxta æſtimant; pecudum ritu, præeuntium veſtigiis inſiſtunt, & videntes, audientes, ſed nec ſcientes, temere quidlibet in imitationem tranſferunt. Illi ergo perfidos Duces ſecuti tota errant via. Unde obiter fit illud obſervatum, quod eo gravius eſt Sacerdotum peccatum, quo magis Populi rudioris, qui Ipſorum unice exemplis ducitur, credulam ſimplicitatem deceperint. [a] οὕτω δὲ ἁμαρτάνοντες εἰς τοὺς ἀδελφοὺς καὶ τύπτοντες αὐτῶν τ συνείδησιν ἀσθενοῦσαν, εἰς Χριστὸν ἁμαρτάνετε.

Sive porro cum doctioribus & acutioris ingenii viris res agatur; qui quidem ſunt, aut *Impii*, —

a 1 *Cor.* 8. 12.

aut

aut *Pii* : — *Impii*, qui nihil prius potiuſve habent, quam ut libidinibus impune obſequantur, & vitiis honeſtam prætendant faciem, plaudunt ſibi & gratulantur, Sacerdotem adepti, flagitiorum non ſocium modo, ſed etiam Ducem & Patronum; unde peccantibus, non modo licentia impunita, verum etiam Auctoritatis cujuſdam & triumphi ſpecies accedit. — *Pii* vero, quos ſollicita tangit Religionis vindicandæ cura, ita fere nequiſſimos Ipſorum mores indignabundi oderunt, ut res ſacras, quaſi profano Ipſorum tactu plane pollutas, refugiant; & partim irâ, partim dolore commoti, ita Dei gloriæ ſtudent, ut, ſui interim officii incautius obliti, ipſo nimiæ pietatis errore peccent: memorabile illud *Moſis*, hominum, quotquot extiterunt, longe mitiſſimi, exemplum infeliciter æmulati; qui in caſtris *Iſraeliticis*, quæ non ita pridem Dei præſentis terror compleverat, populi tumultuantis inſaniam, & illud Idololatriæ monumentum execrabile conſpicatus, adeo vehementi iracundia ſubito exarſit, ut binas Decalogi tabulas, quas Jehovæ ipſius digito inſcriptas acceperat, manibus temere projectas diffringeret.

Uſque adeo ad populi univerſi mores corrumpendos valet iſthæc Sacerdotalis exempli fœcunda malignitas!

Quid interea profuerit ingenii fulgor, & Eloquentiæ laus, ſi orationi vita non reſpondeat? nequicquam aliis id ſuadere ſtudes, quæ ipſe tibi non perſuaſeris. Chriſtiano ſaltem Oratori illud *Quintiliani* apprimè convenit. " Oratorem " inſtituimus illum perfectum, qui eſſe, niſi Vir " bonus, non poteſt: ideoque non dicendi mo- " do eximiam in eo facultatem, ſed omnes animi " virtutes exigimus." Dicta enim quis audiat, facta dum viderit? & quantilla eſt Argumentorum vis, quæ Orator tacitus refragante morum teſtimonio refellerit?

Si porro, prout recentiores quidam [a] Philoſophi loquuntur, *Actio* quælibet *Propoſitionis* vim habeat, ideoque officii *violatio* quævis ſit *Veritatis neceſſariæ negatio*, idcirco, quò ſceleratior quiſque, eò conſtantior exiſtit impiorum Dogmatum Vindex. Proinde Sacerdos, cujus officii ratio id proprium habet, ut ſcientiæ plenioris famam conciliet, cujus porro Auctoritas id habet, ut cuilibet aſſertioni quaſi imperatam fidem faciat, impie dum vivit, impietatem quodammodo commendat ſtabilitque; dum facile in tanti nominis obſequium credulus trahitur popellus, nec Religionem omnem ſpernere veretur, quam acceperit à Defenſoribus ſuis proditam, ab Interpretibus neglectam deriſamque.

a V. *Woolaſton* Relig. Natur. delin.

Eſt

Eſt Actio quidem omnis animorum teſtis longe veracior quam Lingua, ad perſuadendum omni oratione facundior. Quæ Auditorem languentem ſegniùs irritant, ea feliciter ſibi Ipſe conſcius tradit Spectator: ab oculis ad animam tranſit vivida exempli imago, & ſpectaculum inopina ſubſequitur imitatio.

Adde, quod hac in re non parum adfert momenti, ea eſt communis naturæ depravatio, ut omnes in partem deteriorem procliviores ſimus, & blando quodam præjudicio abrepti, quæ, libidinum cauſa, eſſe vera cupimus, ea repente pro veris amplectamur, ipſi ultro in re ſeria fraudem nobis facimus damnoſam; *Jeſuiticum* illud de *probabilitate* dogma ſecuti, quicquid unius atque Alterius ſacri Doctoris Judicio, &, quod longe majus videtur, Exemplo comprobatur, id licitum ratumque ducimus; tanquam reverendi nominis auctoritas ipſa quoque ſcelera conſecrare potuerit.

In ſumma, utcunque, prout ſupra notavimus, à Perſona ad Officium reverà & per ſe nihil redundet corruptelæ, nec de ſacrarum Adminiſtrationum efficacitate quidquam decedat, ita tamen, pro humanæ naturæ pravitate, vel imbecillitate, fieri comperimus, quod profanos Sacerdotum mores publica uſque ſequatur impietas: & Viris, non improbis modo, ſed etiam

bonis, injiciatur ita anceps & inevitabile peccandi periculum, ut Deum Opt. Max. Reipublicæ cauſa, quotidianis precibus obſecrare debeamus, ne per *Sacerdotum* peccata nos in tentationem induci patiatur.

Quæ cum ita ſint, quod ſupereſt, mecum unà ſtatuite, quam neceſſaria Sacerdoti ſit, ad Religionem promovendam, tum in Miniſterio publico pietas, tum in moribus privatis integritas.

Revelationis divinæ finem ultimum intuemini, (digniſſimum ſane illum propitio numine) æternam humani generis ſalutem: hunc in finem religioſi quidam ritus fuerunt inſtituti: his ritibus adminiſtrandis certus hominum ordo devotus: Hominum illorum intereſt, ſummo, quo poſſunt, ſtudio adminiſtrationibus ſuis gratiam & reverentiam conciliare. Religionis cauſam promovere, id demum eſt Reipublicæ bono conſulere: hoc qui rite præſtiterit, is demum Sacerdotis nomine dignus; hoc qui neglexerit, is jure habetur officii proditor & peſtis Reipublicæ teterrima. Cum igitur ex jam ante dictis conſtet Perſonalia Sacerdotum peccata ſecum una trahere Religionis ipſius contemptum, quid reſtat? niſi ut ex adverſa parte ſtatuamus, ad ipſius reverentiam populique adeo felicitatem promovendam, exigi in Sacerdotum moribus,

tum publicis, tum privatis, eximiæ pietatis & innocentiæ exemplum.

Officii profecto Sacerdotalis ſive Auctorem, ſive Materiam, ſive Finem quis perpendat, quantam omni ex parte mirabitur illico conſurgere ſanctitatis dignationem! En ſingulares illius, quibus nihil majus humana recipit natura, honores, ab Apoſtolo ſummatim magnificeque deſcriptos! [a] Πᾶς γὰρ Αρχιερεὺς ἐξ ἀνθρώπων λαμβανόμενος ὑπὲρ ἀνθρώπων καθίσταται τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, ἵνα προσφέρῃ δῶρά τε καὶ θυσίας ὑπὲρ ἁμαρτιῶν.

Cum *Iſraeliticus* populus omnis Jehovæ ſacer haberetur, quanto uberior *Sacerdotibus* ineſſe debuit ſanctitatis commendatio? ipſi ritus externi, qui quidem varii præcipiebantur, totidem extiterunt puritatis internæ Symbola. Ad miniſterium non admittebatur corporea labes; nihil, niſi integrum perfectumque, exiſtimabatur Deo dignum; ne forſan illud Religionem ipſam dehoneſtaret, quod eſſet in Homine deridendum. ——Ne plura commemorem, inſtar omnium Pontificalis mitra inſcriptam geſſit *Sanctitatem Jehovæ*. —— Εἰς τοῦτό τις ὁρέων εὐσεβὴς ἔσω.

Si vero Lex *Moſaica Levitis* totidem ſive pietatis ſymbola exhibuerit, ſive officia præceperit, quales eſſe nos oportuit *Chriſtianos*, quibus obtigit miniſterium longe præſtantius? [b] Εἰ γὰρ ἡ

a *Heb.* 5. 1. b 2 *Cor.* 3. 9.

διακονία

διακονία τ καταλλαγῆσεως δόξα, πολλῷ μᾶλλον περισσεύει ἡ διακονία τῆς δικαιοσύνης ἐν δόξῃ. Quamobrem Chriſtiani certe Sacerdotes in eo jure ſibi elaborandum eſſe exiſtiment, ut, quo uno Chriſtiani Hominibus cæteris præſtare debent, in eo Ipſi Chriſtianis cæteris omnibus antecellant.

Ut vero omittam, quæ hac de re paſſim traduntur, præcepta, ipſi profecto, quibus inſigniuntur, tituli afferunt ſecum, ut laboris & dignitatis, ita & præclaræ ſanctitatis officia: admonentque ut doctrinam moribus ornent, &, quò debita miniſterio reverentia concilietur, ipſi ſe revereri diſcant. Qui, Laicorum vitiis obſequio ſervili lenocinans, de dignitate deſcendit ſua, cum virtute, unà perdidit & Auctoritatem: Ipſe ſui proditor, Laicis contemptus, pariter & inviſus!

At vero ſinceræ pietati ineſt mira quædam vis & ſuadela ad docendum eloquio omni longè efficacior.

Qui in deſerto vitam inopem ſeveramque coluerat, nulla ſceleris labe inquinatam, potuit Ille quidem pœnitentiam inculcare, ſplendidam Curiæ nequitiam, ipſiuſque Regis infamem libidinem, magno non ſine dignitate & auctoritatis cujuſdam ſpecie, palam reprehendere. [a] Ὁ γὰρ Ηρώδης ἐφοβεῖτο τ Ἰωάννην εἰδὼς αὐτὸν ἄνδρα δίκαιον κ ἅγιον.

a *Marc.* 6. 20.

Tu

Tu vero quis es, qui charitatem verbis magnifice prædicas, factis interim iras & inimicitias fovens? Sinceritatem, ſubdolus Hypocrita?

Tu quis es, qui de rerum humanarum contemptu, de Eccleſiâ, Clerique dignitate declamitas, rei interim privatæ unice ſtudens, &, niſi hujus mundi quod ſiet, in Eccleſia curans plane nihil?

Tune mihi temperantiam caſtitatemque commendas libidini interim deditus & ebrietati? [a] ὁ οὖν διδάσκων ἕτερον, σεαυτὸν οὐ διδάσκεις; [b] ἐν ᾧ γὰρ κρίνεις τὸν ἕτερον, σεαυτὸν κατακρίνεις, τὰ γὰρ αὐτὰ πράσσεις ὁ κρίνων. Iſtiuſmodi ineptus monitor audientibus adeo non doctrina prodeſt, ut ſæpius riſum moveat vel indignationem; [c] ἰατρὲ θεράπευσον σεαυτόν. Quî enim crediderit quiſpiam Illum ſalutis alienæ curam gerere poſſe, qui ne de ſua quidem eſt ſollicitus? Uſque adeo ad dictis fidem faciendam vitæ inſuper integritas deſideratur!

Et hæc quidem, quæ diximus, ad Cleri Chriſtiani *Univerſi* officium ſpectant; libet porro peculiare quoddam, quod ad *Eccleſiæ Anglicanæ* Clerum potiſſimo jure refertur, commemorare,— Eccleſiæ, quæ *Reformatæ* titulo, quo nihil plane glorioſius, ſe non fruſtra jactitavit. Jam vero *Reformationis* ipſa ratio denotat ſingularem

a *Rom.* 2. 21. b 2. 1. c *Luc.* 4. 23.

quan-

quandam puritatem reſtitutam, quam aliena corruperat impietas: adeoque nomen ipſum extabit perpetua vitæ degeneris exprobratio, perenni interim admonens documento, ut, quibus doctrinæ purioris laude antecellimus, eos etiam innocentia vitæ ſuperemus. [a] Λέγω γὰρ ὑμῖν ἐὰν μὴ περισσεύσῃ ἡ δικαιοσύνη ὑμῶν πλεῖον τῶν γραμματέων καὶ Φαρισαίων, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.

Sacerdotum *Iſraeliticorum quale quantumque* fuerat peccatum, abunde videor explicuiſſe. — Maxime vellem, ut, quæ in illis exęcranda vidimus, ea eſſent à *Chriſtiano* nomine prorſus aliena! — Verùm, ſi qua in Eccleſia novimus extitiſſe criminum conſimilium exempla, videamus quàm indignum ſit, quod in aliis merito damnavimus, id ipſum imitari. [b] Εἰ γὰρ ἃ κατέλυσα, ταῦτα πάλιν οἰκοδομῶ, παραβάτην ἐμαυτὸν συνίστημι.

Ergone *Pontificii*, in *Regimine Eccleſiaſtico* res novas moliti, contra normam diſciplinæ Apoſtolicam, oppreſſa fratrum Chriſtianorum libertate, nefariam invexerunt Tyrannidem [c] κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, hominique (pene dixerim *Jovi ſuo Capitolino*) honores divinos arrogarunt? —— Sentio equidem quam minime ad nos pertinere videatur hoc Eccleſiaſticæ Tyrannidis crimen:

a *Matt.* 5. 20. b *Gal.* 2. 18. c 1 *Pet.* 5. 3.

ita

ita hac saltem in parte ab Ipsorum exemplo longissime discessimus.

Ergone Illi in *ministerio sacerdotali* simplicitatem primævam damnoso rituum apparatu corruperunt, [a] ἀκυροῦντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ τῇ παραδόσει αὐτῶν ἣ παρέδωκαν, καὶ [b] διδάσκοντες διδασκαλίας ἐντάλματα ἀνθρώπων· ad ostentationem omnia, non pietatem, ad quæstum privatum, non Dei gloriam comparantes; imo ita sibi tribuerunt omnia, ut Laicis etiam debitam Sacramenti partem denegaverint? —

Ergonè Illi porro, in obeundo munere *Prophetico*, erranti populo adeo non lucem prætulerunt, ut etiam ignorantiam confirmaverint, [c] ἄραντες τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως, καὶ [d] κλείοντες τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων;

Ergonè Illi denique, rei Politicæ magis quam Ecclesiæ studiosi, primævæ *fidei doctrinæque* puritatem *Pharisaicâ* quadam novorum dogmatum, impiarumque superstitionum ζύμῃ contaminarunt; imo & Ecclesiæ disciplinam venerandam *Indulgentiarum* venalium, & impunita scelerum licentia adeo penitus dehonestârunt, ut impietatis, luxuriæ, avaritiæ multiplici exemplo præeuntes, populum, aut deceptum, in tantorum criminum imitationem impulerint, aut, indignantem

a *Marc.* 7. 17. b 7. c *Luc.* 11. 52.
d *Matt.* 23. 13.

nantem à cultu divino plane retraxerint? —— intelligant profecto cauſam *Hophni* & *Phinees* fuiſſe à ſe non alienam: intelligant fuiſſe ſuum quoque *peccatum coram Domino grande nimis.*

Hæc qui attentius inſpexerit deſinet aliquando mirari, ſi ruinam aliquando traxerit tanta nequitiarum moles, jam diu magnitudine laborans ſua, & totidem corruptelarum immanitatem ſecuta ſit aut Reformatio, aut Seceſſio.

Felices judicii! qui in re momenti tam ancipitis modum tenere potuerunt; qui ita Eccleſiaſticorum vitia rejecerunt, ut priſcum Eccleſiæ Regimen non immutaverint; ita excuſſerunt Tyrannidem, ut Licentiam non invexerint; ita demum à *Pontificiorum* erroribus diſceſſerunt, ut ad normam *Apoſtolicam* propius acceſſerint!

Ad quos tanta laus pertinet, ad eoſdem adeo pertinet id potiſſimum negotii, ut Religionis, quam à Majoribus ita feliciter Reformatam acceperant, famam pari cum fortitudine tueantur: videant quo in loco res ſibi poſitæ ſint, quàm arduo plane lubricoque! [a] οὐ δύναται πόλις κρυβῆναι ἐπάνω ὄρους κειμένη. Eccleſia Anglicana jam diu quibuſdam odium excitavit & invidiam, quibuſdam admirationem & ſpes erexit, omnium certe animos commovit. In hoc tanto rerum diſcrimine quid prius potiuſve vobis, Reverendi

a *Matt.* 5. 14.

Fratres,

Fratres, faciendum reſtat, quàm ut juxta Apoſtoli monitionem, his certe temporibus perneceſſarium, [a] περιπατῆτε εὐχημόνως πρὸς τοὺς ἔξω· [b] ἵνα ὁ ἐξ ἐναντίας ἐντραπῇ, μηδὲν ἔχων περὶ ὑμῶν λέγειν φαῦλον.

Intuemini imprimis *Pontificios*. Illine adeo Vobis hæreſis crimen affingunt? calumniam hanc iniquiſſimam refellat veſtra honeſtiſſima Fidei Orthodoxæ defenſio: ut deſinant aliquando maledicere, dum vos animadverterint [c] ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις πίστει.

Illine porro vobis vitio vertunt profanam in rebus ſacris adminiſtrandis incuriam, rituumque venerandorum contemptum? hanc criminationem malignam veſtra redarguat [d] ἡ κατ' εὐσέβειαν διδασκαλία. [e] οὕτω λαμψάτω τὸ φῶς ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ut Illi veſtræ ex pietatis lumine lumen accendant ſuum. Miniſterio auctoritatis quiddam & ornamenti adferat ipſa Miniſtrantis reverenda Sanctitas: nec Religioni, quæ quidem præcipue in [f] πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ peragitur, deſit etiam externi decoris commendatio: [g] πάντα εὐχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γενέσθω.

Quam prorſus indignum eſt eo, qui inter Deum Hominemque Legati perſonam gerit, Li-

a 1 *Theſſ.* 4. 12. b *Tit.* 2. 8. c *Ep. Jud.* 3.
d 1 *Tim.* 6. 3. e *Matt.* 5. 16. f *Joh.* 4. 23.
g 1 *Cor.* 14. 40.

turgiæ officia, quibus nihil gravius ſanctiuſve, oſcitanter percurrere? [a] Vah — tantamne rem tam negligenter agere! ita ut populo aut dormitanti Religionis ſenſum omnem extingui patiatur, aut vigilanti bilem moveat, & à cultu divino quodammodo invitum retrahat? Videor videre ridiculos Miſſarum Caupones; infames illos Sacrificulos, qui, conductæ vocis officium venditantes, ſatis ſibi placent, opere operato, ut loquuntur, majore cum ſuo quam populariun fructu perfuncti.

Videte quantæ iſthoc eſt levitatis & turpitudinis id ipſum in Eccleſia *Reformata* admittere, quod in *Romana* non erat tolerandum! Adminiſtrationes ergo publicæ veſtræ omnes tantum abſint ab impietate, quantum abſunt à ſuperſtitione.

Intuemini deinde *Puritanos*. In ipſo *nomine* quantum eſt opprobrii? pereat æternùm ipſius, quæcunque fuerit, cauſa! —— Quid vero hoc eſt vecordiæ, ſi quidem aliquando olim extiterint Hypocritæ, [b] ἔχοντες τὴν μόρφωσιν τῆς εὐσεβείας τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένοι, ideo præ illorum odio aut contemptu pietatis externæ ſpeciem omnem rejicere? Quin potius Appoſtolicæ, ut diſciplinæ, ita & puritatis exemplum æmulati, omnem illis cavillandi anſam præcidatis, cum nihil in mo-

a Vid. Append. b 2 Tim. 3. 5.

ribus

ribus culpandum viderint: [a] μηδεμίαν ἐν μηδενὶ διδόντες προσκοπὴν ἵνα μὴ μωμηθῇ ἡ διακονία.

Quamobrem pudeat Sacerdotem, id ipſum, quod Petro Chriſtus, officiorum inſtar omnium, & amoris erga ſe teſtimonium ampliſſimum, commendavit, gregis paſcendi curam, præ incuria aut perfidia deſerere! pudeat Dei miniſtrum Avaritiæ & Luxuriæ famulari: & Probitatis diſpendio Ambitioni velificari; & ita demum rebus Politicis ſe penitus immiſcere, ut vix meminerit eſſe ſe Chriſtianum, Illius Magiſtri diſcipulum, qui ab iſtiuſmodi curis ad officia ſpiritualia affectus revocavit, profeſſus *regnum ſuum hujuſce mundi non eſſe.*

Quid denique *Infideles?* quid aliud agit tanta Illorum impietas, quàm ut Vobis aut provocet aut commendet omnimodæ pietatis officia diligentius præſtanda? Illine factis dictiſque veſtris inſidiantur, ut aliquid in ludibrium culpamve trahant? eò cautius Vobis agendum exiſtimate: eodem, quo erga Ethnicos primævi Chriſtiani, animo uſi, puriori tum doctrinæ, tum morum exemplo ſpectabiles, opponite Ipſorum erroribus veritatem, nequitiæ integritatem, pervicaciæ modeſtiam, juxta admonitionem: [b] ἕτοιμοι δὲ ἀεὶ πρὸς ἀπολογίαν παντὶ τῷ αἰτοῦντι ὑμᾶς λόγον περὶ τῆς ἐν ὑμῖν ἐλπίδος, μετὰ πραΰτητος καὶ φόβου· συνείδησιν

a 2 *Cor.* 6. 3. b 1 *Pet.* 3. 15, 16.

ἔχοντες

ἔχοντες ἀγαθὴν, ἵνα, ἐν ᾧ καταλαλεῖσιν ὑμῶν, ὡς κακοποιῶν, καταισχυνθῶσιν οἱ ἐπηρεάζοντες ὑμῶν τὴν ἀγαθὴν ἐν Χριστῷ ἀναστροφήν. Quos Argumenti vis minus movet, eos ſaltem vitæ puritas movebit; triumphabit de aſtutia ſimplicitas, de malignitate innocentia; ita ut Ipſi adverſarii virtutes, quas inviti venerantur, aliquando inceperint imitari.

Vidimus jam antea quam facili tranſitu à vitiis Miniſtri ad Miniſterium, à Cleri ad Religionem ipſam deducitur contemptus. En ergo, inter alias, hanc maxime ſpecioſam Infidelitatis cauſam!

Abſit, ut eo nomine quicquam nobis imputari poſſit! —— Verum, ut ut illud fuerit, ſeveriorem ſolito in moribus ſive conformandis ſive reformandis adhibere curam ſubmonet ipſa temporum iniquitas, quæ indies nova licentiæ pariunt monſtra, & in Chriſtianæ libertatis opprobrium Infidelitatem vident audacius triumphantem. Ut huic graſſanti malo occurrere, & religionis violatæ cauſam digne ſatis vindicare poſſimus, [a] ποταπους δει υπαρχειν ημας εν αγιαις αναστροφαις και ευσεβειαις; illud certe, quod à quorundam turpi exemplo ducitur, exemplo viciſſim noſtro laudabili diluamus argumentum, innocentia morum feliciùs quam acumine in-

a 2 *Pet.* 3. 11.

genii

genii refellendum. [a] Οτι οὕτως ἐστὶ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, ἀγαθοποιοῦντας φιμοῦν τὴν τῶν ἀφρόνων ἀνθρώπων ἀγνωσίαν.

Quod demum ut auſpicatius fieri poſſit, ſerio recolamus, Reverendi Fratres, tum illa, quæ de ſacra officii ratione accepimus à Deo præcepta, denunciata, promiſſa: tum, quæ Ipſi cum miniſterio unà ultro ſuſcepimus incorruptæ Sanctitatis vota: &, quod *Timotheo Paulus*, id Sibi quiſque non fruſtra dictum putet: [b] Τύπος γίνου τῶν πιστῶν ἐν λόγῳ, ἐν ἀναστροφῇ, ἐν ἀγάπῃ, ἐν πνεύματι, ἐν πίστει, ἐν ἁγνείᾳ· [c] τοῦτο γὰρ ποιῶν, καὶ σεαυτὸν σώσεις καὶ τοὺς ἀκούοντάς σου.

a 1 *Pet.* 2. 15. b 1 *Tim.* 4. 12. c 16.

# APPENDIX

## Ad pag. 28. Vah! tantamne rem tam negligenter agere!

SENTIO me in querelæ & reprehenſionis juſtiſſimæ materiem incidiſſe; quam valde cupio ab Academicorum hominum cauſa fore alienam.

Ecce enim, quod indignans jure mireris, Eloquentiæ ſtudium, quo quidem apud *Græcos Romanoſque* nihil præclarius celebrabatur, imo & ipſam pronuntiationis genuinæ & decoræ facultatem à pleriſque penitus neglectam, ab aliquibus ſedulo corruptam.—Ne vero hæc à me temere dicta exiſtimes, ad Auditorum in hac parte judicia atque ſenſus provoco: imo vero hæc mecum una ipſe experiundo ſenties.

Quid enim? — Agedum, Hoſpes, *Britanniam* univerſam peragra: per rura, per urbes, quaquaverſum Eccleſias ingredere ſpectator & Auditor; quid ibi rerum agatur vide. Oratorem nempe Chriſtianum quæris. — Verum enimvero quotuſquiſque illorum, qui paſſim in Roſtra prodeunt, nomine tam venerabili dignus reperitur? quotuſquiſque, qui verba vel ſua vel divina apte, diſtincte, graviter pronuntiare ſtudet, & Audientium affectibus ita dominari, ut omnia non ad famam ſuam, ſed ad illorum ædificationem,

κοδομην, ad pietatis incrementa unice referat? Profecto ſingula circumſpiciens & explorans aliquando invitus fateberis & hic & illic perorandi cacoethes quoddam invaluiſſe; & ab oratoribus noſtris diverſo in genere plerunque peccatum eſſe; cum à rei divinæ dignitate nihil magis abhorreat, quam illa, quæ in pleriſque cernitur, vocis incompoſitæ præcipitata volubilitas, — in aliis ignava quædam muſſitatio & oſcitantia,—in aliis demum affectata artis ſcenicæ oſtentatio. Quocunque tandem te converteris, vereor ſane ut votis reſpondeat res, ne aut aures aliquando fraudatæ amplius quiddam deſiderent, aut ſæpius laſſatæ cum faſtidio audita refugiant.

En adeo Sacerdotem hunc noſtrum! finge illum in Liturgiæ ſuæ curriculo revolubili rite exercitatum! finge illum animo, prout Oratorem ſuum *M. T. Cicero*, qualis eſſe debuit; ecquid gravius ſanctiuſque? en ille, populi Legatus, ſupplicans, deprecans, laudans, Deum alloquitur: & hæc quidem omnia quam ſuppliciter, obnixe, & reverenter? — Idem etiam ad populum de Deo loquitur, divina recitans oracula: quam magnifice hæc & elate, &, ut ita dicam, imperatorie! — Identidem hiſtoria narratur ſacra — quam ſimpliciter, & diſtincte! Præcepta itidem inculcantur, quam graviter, & ſevere! — nunc animos vocemque attollit, arte omni Rhetorica major, Iſaiæ grandiloquentia: nunc

nunc dicenti vehementiam excitat intenditque argumentationis Paulinæ δεινοτης admiranda. — En quales affectus & ſtudia res ipſa flagitat provocatque!

Ubinam vero reperitur iſtiuſmodi Sacerdos, qui re ipſa officii tam venerabilis αξιωμα tuetur? — Imprimis adeo vide Parœcialem illum ruſticum, in Liturgiæ ſuæ curriculo revolubili exercitatum! Quid autem? quid illico hæres refugiſque, faſtidioſus Auditor? — videre videor te reclamantem protinus "Hoccine eſt tolerabile "& Deo dignum, ut ſua rebus ſacris evileſcat "gratia pretiumque? ut eloquentiæ, quæ quidem omnium eſt prima, divinæ cura fere nulla "impendatur? quid hoc eſt pravæ repræſentationis, quæ τα θεοπνευστα ſibi prorſus diſſimilia "exhibet, quæ aut Dei imperantis præcepta "proponit frigida, aut indignantis minas inermes? ita ut in propheta noſtro non amplius "agnoſcatur illa ſtili atque ſententiarum laudata "ſublimitas; ut in orationibus *Davidicis* deſideretur quicquid erat vis Patheticæ; ut Apoſtolo demum diſputanti quaſi nervi ſuccidantur, "& infracta ſuccumbat vehementia?

"Cuinam jure bilem non moveat hæc paginæ "ſacræ probroſa dehoneſtatio & quaſi Majeſtas "læſa? dum, nullo dignitatis habito diſcrimine, "res toto genere diſſimiles & diverſæ commiſcentur indiſcretæ, unoque demum et eodem vo-

" cis tenore promiſcue omnia & quidem inepte,
" oſcitanter, aut faſtidioſe proferantur? O mi-
" ram facundiæ popularis laudem, quam parit
" hæc tam otioſa pronuntiandi facilitas! ubi paſſu
" æquabili & inoffenſo tranquilla decurrit oratio,
" & ſoporifera quædam in longum protenditur
" monotonia, oblivionem ſenſibus inducens pla-
" cidiſſimam!

Quin & Eccleſias adi, quas Metropolis noſtra jactat, eloquentiæ ſingularis laude florentes. Hac profecto in parte præclarum quiddam tibi non fruſtra polliceri videris. At hic etiam pronuntiationis pravæ cujuſdam conſuetudinem dominari ſenties, non quidem ſocordiæ & oſcitantiæ, ſed diligentiæ forſan nimis ambitioſæ, & arrogantiæ crimen ſplendidum.

Quin age rem omnem mecum una diſpice: animis audientium pietatis ſenſum quoquo modo ingenerare ea eſt curarum ſumma, ea demum oratoris Chriſtiani laus præcipua. Quid autem eſt ab oratoribus noſtris hac in parte allaboratum, & effectum? — De *Paræciali ruſtico* illo jam vidimus; peccare nempe illum per torporem quendam & defidiam, cum ſatis habeat opere præſcripto per otium quoquo modo defungi, audientium quieti ſimul conſulens & ſuæ.

Quid vero *urbanus* ille noſter? profecto longe aliam ille inſtituit viam, ab inertia & oſcitantia

adeo

adeo alienus, ut potius ſedulitate ipſa peccet, plus æquo officioſus, & præ nimio placendi ſtudio viris cordatioribus jure diſpliceat. — En autem, veluti in ſcenam Hiſtrio, in Roſtra prodit concionator: urbanitatis apparatu præludens, tanquam prologo, etiam tacitus benevolentiam conciliat: habitu in ipſo veſtituque & geſtu facundia quædam ſpectabilis oſtentatur. Quanam vero ſpe & conſilio inceptat, rogas? totus ambitioni velificatur ſuæ: plauſus captat populares, id agens unice populo ut placeant, quas fecerit, fabulæ. Jam vero eloquentiam hancce qualem eſſe dicam? — non profecto *Demoſthenicam*, non *Ciceronianam*: ſed neque vulgarem ſimplicemque; certe non eam, quæ hiantibus ſtuporem atque ſomnos inducat; ſed eam potius, quæ vigilantium ora oculoſque ad ſe convertat, quæ expectationem, quæ porro ſui admirationem excitet, aliquid novi ſemper apportans quod varietatis gratia captos delectet. En adeo θεαμα ſimul & ακροαμα, quorum alterum exhibet corporis, alterum compoſita vocis modulatio; utrumque à Theatro traductum, & quidem parili plauſus captandi ſtudio accommodatum. Ita demum comparata vides omnia, ut placere potius quam prodeſſe poſſint, non ut audientium judiciis ſeverioribus ſatisfaciant, ſed ut populi faſtidiis lenocinentur.

Quid

Quid autem de Concionum *materie* dicam? inepta profecto utplurimum illa & levidenſi, non ſane dogmatica aut Evangelica, nec ad οικοδομην quidquam conferente, χρυσον, αργυρον, λιθος τιμιους, ſed potius ad detrimentum & ruinam, ξυλα, χορτον, καλαμην, ſpecioſa potius & futilia, quam ſolida & pretioſa. Nempe forſan de Moribus neſcio quæ, vel de lana caprina declamitatio jactitatur: populus frequens accurrit, applaudit: & quicquid eſt laudis oratoriæ id omne ſuppeditat Hiſtrionia. Quorſum vero tendit oratio? & quales ſententiæ? non quæ hominis Chriſtiani ſive perorantis ſive audientis ſeveritati conveniant, non quæ animos pietatis affectu accendant, ſed eæ potius, quæ in ingenii luſu aliquo verſentur, quæ ad Civis alicujus *Attici* liberalis & ingenui elegantias attemperentur, aureſque delicatas, in tranſitu, nugis quibuſdam canoris deliniant, aut vacantem animum pictura paſcant inani.

Verum, his jam omiſſis, de *Elocutionis modo*, in quo potiſſimum & ipſe ſibi & forſan aliis pleriſque placet, brevis inſtituatur diſquiſitio. Quid autem? Illumne in Oratorum numero accenſendum *M. T. Cicero* exiſtimaret? hominem perfrictæ frontis, quidlibet temere affectantem, & verborum inani volubilitate profluentem? qui neque ad rem apte, neque pro rei dignitate graviter,

graviter, neque pro varietate ſubactæ vocis flexiones moderari novit? Laudetur ſane quæcunque hac in parte verſatur diligentia, at interim repellatur & caſtigetur hominis inverecundi arrogantia. Permagnum quiddam eſt Oratoris & quidem maxime Chriſtiani ἀξίωμα. Certe non vociferatio, non omnium, quotquot in Rhetoricæ hortis naſcuntur, floſculorum oſtentatio, non chironomia, non quicquid eſt in arte Hiſtrionica geſticulationis veram eloquentiæ laudem conſtituit. — Jam vero in Oratore hoc noſtro, quem vulgus tantopere admiratur, elocutionis rationem qualem eſſe ſtatuemus? Me quidem audientem ſæpe mirari ſubit quid illud eſſet, quod hominum ſenſibus atque judiciis ita fraudem faceret, ut orationem illam maxime probarent, quæ quidem, nequid gravius dicam, à re ſubjecta erat prorſus aliena, & Scenæ magis quam Roſtris conveniens. Equidem nihil video quod tale auribus obſequium imperet præter ſingularem perorantis arrogantiam. Quid enim? deſideratur imprimis illa, quæ in hominum oculos incurrit, ſeveritatis & ſanctimoniæ ſpecies externa. Ubinam porro illa animorum medullas penetrans in argumentatione δεινοτης & vehementia? ubinam in affectibus excitandis aut ſedandis flexanima illa πειθω, quæ audientium cordibus dictorum aculeos infixos relinquit? In ſumma, deſideratur

ſideratur illud, quod eſt omnium rerum primum, τὸ πιϛον,* illa, quæ verbis fidem faciat, eximia dicentis autoritas. Profecto orator Chriſtianus eſſe poteſt nemo niſi vir bonus; proximus erit, ſed longo proximus intervallo, qui illius ſpeciem præ ſe fert honeſtam, bene larvatus Hypocrita. Nempe caput eſt artis artem celare; verum hic noſter dicendi artificio ita triumphat, ut imprudens Hypocritam ſe indicio prodat ſuo, cum non ex animo ſed induſtria quadam ſolerti & fictione dicere videatur. Quanquam vero quænam iſta eſt vocis tantopere laudata modulatio? Equidem, niſi mihi aurium ac animi judicia vehementer fallantur, affirmare auſim illam eſſe utplurimum abſonam & ἀπροσδιονυσον, imo demum toto genere vitioſam; cum nihil afferat vere παθητικον, ſed quaſi laſciviens varietate quadam ridicula ſubſultet, identidem tam emphatice omnino omnia proferens, ut in ſententia emphaſis prorſus nulla diſtinguatur; ſubinde vero facilitate tam eleganter otioſa decurrens, ut nulla omnino mentis ſignificatio appareat, nec ulla decurſûs numeroſi veſtigia maneant impreſſa. Agedum, tu orationis laudator, recole quid didiceris; quæ mens? quæ ſententia? —

* Hoc citius efficiet incondita, ſed ab animo flagranti proficiſcens, quam omnium Rhetorum machinis inſtructa, ſed e labiis non è corde profluens, oratio. — *Eraſm. Eccleſ. l.* 3.

com-

——*comprenſa manus effugit imago,*
*Par levibus ventis volucrique ſimillima ſomno.*

Video demum illud quod præcipuè curat, ut ſcilicet aures delicatas & faſtidioſas nulla ſonorum aſperitas offendat, atque adeo ut periodorum clauſulæ rotundentur æquabiles & ὁμοιοτέλευτοι· huc redit eloquentiæ laus ſumma. Quid igitur aliud de oratore hoc noſtro ſtatuas, quam eo homine qui *verboſis ſibi famam acquiſivit ſtrophis, non ulla artis prudentia, verum ſtupore vulgi factus nobilis?*

Non eſt quod pluribus proſequar: non eſt quod hominem è Roſtris ad Suggeſtum deducam. Qui ſedulo verbis abuti ſuis non veretur, illum profecto alienis & quidem ſanctioribus abuti poſſe facile intelligas.

Hæc quidem à me dicta eò tendunt ut hiſce exemplis admonitus Chriſtianus noſter Eccleſiaſtes λειτουργειας ſuæ ſanctiſſimæ omni in parte diligentius adminiſtrandæ dignitatem re ipſa tueatur & commendet. Atque adeo oratorum duplex genus deſcripſi: quid ab utriſque ſit maxime peccatum animadverti, huic autem incommodo remedium quale & quo modo adhiberi queat poſtmodo diſquirendum reſtat. — Verum interea quonam fato noſtro fieri dicam quod inter Theologos noſtrates, quos quidem ingenii ſcriptorumque fama inclaruiſſe novimus, tam

pauci in Roſtris oratores extiterint? Quid hoc eſt morbi pene dixerim *Anglici** ſive mali cujuſdam pudoris, qui ſenſibus languorem inducit, ingenii vires debilitat, linguæque & ori, mem-

* Cum exempla magis moveant quam præcepta, rerumque deſcriptio plerumque magis placeat, libet pauca quædam quæ ὁ δεινὸς de Concionibus, quibus apud Pontificios interfuit, annotavit ex Epiſt. peregr. tranſcripta exhibere.

Περὶ δὲ τῶν ἐνταῦθα δημηγοριῶν ἵνως γινώσκεις ὡς ἄλλως πως, ἢ τῶν παρ' ἡμῖν, ὡς πλείστα δημηγορημένων· ἃ γὰρ ἡσυχάζει ὁ Ῥητὴρ ἐκ τῆς βιβλίου τὸ ἠδὴ γεγραμμένον παρέργως ἀναγινώσκων, μεγαύτενος τὴν φωνὴν, ἀκίνητος τὸ σῶμα, καὶ, ὡς ἔοικεν ἀπαθὴς τὴν ψυχὴν· τῶν τε ἀκροατῶν μεταξὺ καθ' ἡσυχίαν ἀσαλευμένων, ῥεγκόντων τε ἴσως καὶ κραδαζόντων· ἀλλὰ φανερὸς ἐγὼ τὸν τε νοῦν καὶ ἅπαν τὸ σῶμα ἐξηκονημένος, καὶ πιχνικῶς ἅπαντα ἐφέξης ἐκπονῶν· τὸ μὲν πρῶτον πρέπως καὶ διδακτικῶς καθηλογίζων, ἔπειτα δὲ βαθὺν ἀνορθώσας ἑαυτὸν μᾶλλον ἐμφατικῶς ἅπαντα διαχειρίζεται· καὶ τοῦτο οὐκ ἐκ προμελετήσεως, ἀλλ' αὐτοσχέδιον καὶ αὐτοματῶς, ὡς ἔοικε, ῥέοντα πρὸς χεῖρα, καὶ, ὁμοιοπαθὴς γενόμενος τῷ λόγῳ, τῶν ἀκροατῶν φρένας ὥσει ἐξ ἐπιρροῆς πολιορκῶν καταπυκνοῦται, ὡς κἀγὼ καιόμενον ἢ χολαζόντα καθῆσθαι (πολλὰ δὲ καὶ δεῖ) ἀλλὰ χεῖρας ἅπαντας τὴν ἀγχίνοιαν κεντούμενος, βάσι τε καὶ ὁμίλοις ἀπὸ τῆς Ῥητορος ἀπεχωρήσας.

Et hæc porrò de *Franciſcano* quodam concionante

— ἐπὶ δημηγορίαν ὁ λαὸς συνῆλθε καὶ εὐθὺς ἐπὶ βήματι καθισάμενος Ῥητωρ τις, ἦν ὁ τύχων ἀνὴρ, ἀξιοθέατον δηλαδὴ τὸ χρῆμα.

Ἀσημφὴς τὴν ὄψιν ἀνὴρ φωτὶ ἐοικὼς,
Ἀλλ' ὅτε δὴ ῥ' ὄπα τε μεγαλὴν ἐκ στήθεος ἵει
Καὶ ῥ' ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν
Οὐκέτ' ἔπειτ' ἐρίσειε Κακεκχύμενος βροτὸς ἄλλος.

λαγνοφωνότατος γὰρ ἦν καὶ πρὸς λοιδορίαν δεινότατος, ὅλος ἐνθουσιάζων ὀμμασι, χερσὶν, ὠμοις, τῷ δ' ὅλῳ σώματι διαγωνιζόμενος ἐδημηγόρει· ὥστε μοι ἄγλωσσος γε αὐτὸς θαῦμα πολὺ καὶ τέρψιν ἐγγενέσθαι· καὶ μᾶλλον ἀγῶνα τὰ ἐρήμου ὅμως ἠγάσθην τὸν ἀνδρα.

brisque

briſque adeo omnibus ſuam propriam, quam ſingulis natura ingeneravit, vocalitatem & facundiam invidet; ita ut, cui præ cæteris oratio exultare & triumphare debet, orator ille Chriſtianus, quaſi frigore repentino perculſus torpeat exanimis prorſus & elinguis, nihil unquam præclarum & laudabile vel aſſecutus, vel auſus? — unde hoc contigiſſe dicam? Haud profecto ex aliqua cauſarum neceſſitate. Imprimis materiem ſubjectam mecum una diſpice: fortaſſe dubitabis an in ſanctimonia & ſeveritate tanta aliquis fuerit eloquentiæ locus. At vero in Rhetoricæ totius curriculo nihil reperitur pro dignitate rei gravius, pro varietate nihil admirabilius, nihil denique commodius potiuſque, in quo cura omnis ſtudiumque impendi debet.

An vero operis difficultas dehortatur? Equidem nihil magis in promptu eſſe reor, nihil facilius, ſiquis hac in parte naturam ducem ſequi velit, atque adeo affectuum, qui pro re nata varii excitantur, ſimplicitatem genuinam verbis exprimere. Etenim gaudentibus, dolentibus, indignantibus, admonentibus, ſupplicantibus, deprecantibus proprium quendam vocis tonum natura præſcripſit; ita ut homines indoctos barbaroſque pro re nata vehementius commotos aliquando mire rhetoricari videas, &, quam minime affectant, eloquentiæ laudem inopinantes

conſequi. — Quid ergo aliud eſt in cauſa? de materie enim ſubjecta jam vidimus, ab illa ſcilicet adeo non reſpui eloquentiam ut etiam provocetur atque alatur. Quid, inquam, eſt in cauſa? ut, quod res eſt, aperte dicam, nos ipſi nobis deſumus: hac in parte nihil eſt à nobis pro rei dignitate ſedulo elaboratum, aut attentatum: imo vero in momenti graviſſimi negotio plane otioſi videmur; ita prælegimus & concionamur, tanquam aliud agentes, nulla interim divini numinis reverentia, nullo pietatis affectu commoti, qui quidem ſi revera animis ſubeſſet, profecto in perorantibus Auditores eloquentiæ laudem minus deſiderarent. Non opus eſt Rhetoricæ præceptis. *Habitus ille mentis*, inquit Eraſmus, *ſincerus & perfectus facundiam rebus ſacris dignam & pronuntiationem appoſitam & geſtus decentes ultro ſuggeret etiam non affectanti.* "*Nihil efficacius ad concitandos pios affectus quam* "*ſi ipſe fueris pie affectus; neque quidquam utilius* "*ad ſedandos improbos affectus quam ſi ipſe fueris* "*ab iis alienus: nemo potentius revocat à vitiis* "*quam qui ipſe in animo odit vitia: per hunc* "*enim ipſe ſpiritus loquitur ſuumque donum tranſ-*"*fundit in Auditores: nec id mirum, quando* "*vera pietas in oculis, vultu, totoque corporis ha-*"*bitu relucens, etiamſi non accedat quaſi vehicu-*"*lum oratio, rapit & afficit intuentes.*" &c.

Interim

Interim desinamus mirari, siquidem Auditores minus commoveantur, cum Orator ipse rei subjectæ sensu plane nullo commoveri videatur. Quid tritum illud *Horatianum* —

*— si vis me flere, dolendum*
*Primum ipsi tibi* — &c.

Quid porro illud Rhetoricorum memorem, "frustra id aliis suades quod ipse tibi non persuaseris?" Intelligat profecto orator Christianus ad se potissimum præcepta hæc pertinere: &, quo gravior est causa, eo σπουδαιοτερως in illa sibi elaborandum esse sentiat. Quisquis igitur Rostra conscendis Concionator, προσεχε σεαυτῳ και τῃ διδαχῃ· id ipsum quod polliceris præsta: id effice ut fide dignus videaris; & judicii tui & sensus testimonia requiro manifesta: frustra verbis affectus sollicitas alienos, qui re ipsa interim dissimulas tuos: quin potius ita eloquere, ut te videam, qui vir sies; ut lumine de tuo mihi quoque pietatis lumen aliquod accendatur. Siquidem hoc effeceris, næ ego te inter oratores primum habebo, cum id, quod est Eloquentiæ palmarium, fueris assecutus.

Quid ergo isthoc est laudis quod in Ecclesiasta nostro desideratur? nihil sane arduum magnificumque, nihil acri ingenio excogitandum aut industria solerti elaborandum; sed simplex quiddam obviumque in promptu atque proclivi: id

id ipſum, quod niſi obſtitiſſet conſuetudo prava, ſponte elicitum natura proferret, aptam pro re nata vocis geſtuſque modulationem, id ipſum quod volumus, juſtam pronuntiationem: non adeo Rhetoricæ præcepta, non exquiſitum dicendi artificium, ſed eam, quæ rei ſubjectæ ſemper ſubeſſe debet, intellectionem adæquatam, ſenſumque penitiorem exigimus, unde enaſcitur ille ſinceræ pietatis affectus, qui quidem, ubicunque ſe effuderit, hominum animis mire ſe inſinuat, ita ut facundiæ artificialis aut vis aut gratia neutiquam deſideretur.

Sic inſtructus & animatus in Roſtra nobis prodeat Eccleſiaſtes. Imprimis adeo materiæ, in qua verſatur, dignitatem eximiam perpendat: qualem vero illam? haud ſane vulgarem, imo nec humanam, ſed cœleſtem prorſus & divinam. Quonam igitur animo ad illius adminiſtrationem accedere oportet? non certe remiſſo & otioſo, ſed reverenter ſubmiſſo, ſed magnificę elato, & ad omnia erecto. — Neque interim dignitatis ſit prorſus immemor ſuæ: hanc recolens ipſe ſe revereri diſcat, nec admittat quidquam nomine honorifico indignum. An Dei ſe Miniſtrum & Legatum recognoſci cupit? caveat profecto ſibi ne in παραπροσθειας crimen incidat, ne Pſeudopropheta Dei mandata aut ſimulando aut diſſimulando violet, ne aut autoritatem defugiat,

aut

aut fidem fallat; quin potius id agat ut materiem ornet commendetque ipſa adminiſtrationis ευπρεπειᾳ, πληροφορειτω την διακονιαν, & in religionis Chriſtianæ cauſa perorans λαλειτω ως λογια θεϋ. — Poſtremo inſtitutionis ſacræ finem reſpiciat: qualem vero illum? non artis cujuſdam exercitationem ſterilem aut quæſtuoſam, non ingenii oſtentationem, ſed populi οικοδομην, ſed eruditionis Chriſtianæ & virtutum Evangelicarum incrementum. ποιμαινε τα προβατα μϋ. Hoc Chriſtus terris diſcedens ultimum & præcipuum Petro in mandatis dedit utpote curarum Paſtoralium ſummam. En, quod ſibi adhibeat Eccleſiaſtes, documentum, unum inſtar omnium, Gregi ſuo Paſtor pabula miniſtret idonea: atque adeo quibus modis commodiſſime id fieri poſſit diſpiciat ſedulo: quicquid demum habet facultatum id omne ad utilitates publicas referat, eadem opera & Charitatis erga ſuos & Pietatis erga Deum teſtimonium exhibens pulcherrimum. Hæc ſentire, hæc meditari Eccleſiaſten noſtrum volumus; hoc Caritatis, hoc Pietatis affectu penitus imbutum ad officia divina, ad ſacræ ſcripturæ ſive recitationem ſive explicationem accedere: interim modo ipſe ſibi non defuerit, de artis Oratoriæ facultate minime laboramus.

Quin

Quin illam mecum, quæ præ cæteris omnibus maxime celebratur, *Demoſthenis* laudem recole. Quid iſthoc erat facultatis oratoriæ, quæ Athenienſium etiam adverſantium animis dominabatur? nulla profecto verborum copia & ornatus admirabilis, nulli periodorum decurſus numeroſi, nulla aurium oblectamenta elaborata: imo vero Æſchines, aliique qui partium erant adverſarum, οἱ πρὸς χαριν δημογορȣντες, artibus hiſce plus valuiſſe videntur. Quid ergo? illa ſcilicet neſcio quæ δεινοτης, illa animi in utilitates publicas totum ſe effundentis vehementia, illa fortitudo inconcuſſa & in reipublicæ laborantis diſcrimine nervorum omnium contentio: hinc ille verborum ardor, & ſententiarum aculeata vis, auditorum ſenſibus atque judiciis penitus infixa: hinc illa perorantis autoritas, & præclarus adeo eloquentiæ triumphus.

Jam vero ita hoc Exemplum intueatur Eccleſiaſtes noſter, ut aliquid ex eo eliciat documentum à re haud alienum ſua. Non ſane illi δεινοτητα hanc *Demoſthenicam* tribuimus, non in illo parem ingenii vim, aut dicendi artificium requirimus: at parem animi integritatem fidemque, parem in religionis Chriſtianæ cauſa aſſerenda fortitudinem & conſtantiam, &, qui facultatum omnium nervos intendit, genuinum illum *zelum* Evangelicum poſtulamus. Quod ſi, quo

animo

animo orator *Athenienſis* ad rempublicam ſuam defendendam acceſſit, eodem ille noſter ad rem Chriſtianam adminiſtrandam accingeretur, re ipſa profecto intelligeret dicendi facultatem idoneam ſibi neutiquam deeſſe, & facundiam laude ſua fructuque non deſtitui.

Quin & aliud porro vide Oratorum genus plane diverſum, & quidem novum & ſingulare, Pſeudapoſtolos, neſcio quos, errabandos, & concionatores circumforaneos, homines neque rerum uſu peritos, neque literatos, neque ingenuos & liberales, verum importuna dicendi exercitatione & pervicacia ſedulitatis mira quædam & auſos & aſſecutos. Utcunque enim verborum copia omnis & volubilitas ſine re ſubjecta inanis ſit & inepta, at ad rudis populi aures deliniendas utplurimum valet: hoc ipſum oratores iſti experiundo intelligunt; atque adeo ad famam & quæſtum hac potiſſimum graſſantur via. E roſtris, tanquam θεοπνευσαι, quicquid in buccam venerit fidenter effutiunt: ſcilicet in vociferatione tanta nihil facundiæ deſideratur; imo vero eloquentiæ laudem invadit ipſa dicentis arrogantia: Plebs interim inhians admiratur, applaudit; neque quidquam aut fruſtra conceptum aut temere dictum putat, quod tam emphatice prolatum cum tanta laterum contentione oculis auribuſque ſuis obtrudi ſentit.

Quinetiam, ne verbis desit fides, artificium insuper aliud adhibetur, ille Sanctimoniæ plusquam Phariſaicæ prætextus. Unde autem hæc virtutum omnium ad ipsos hæreditas tam subito devenerit haud plane scio, nisi ex eo forsan, quod invidi obtrectatores, quantum de laudibus alienis detraxerint, tantum addiderint suis. Ut ut vero hæc fuerint, hæc ipsa Pietatis existimatio quidlibet perorantibus reverentiam quandam & auctoritatem conciliat. Ecquid adeo excidit ridiculum, insulsum, aut ineptum? — at lepide — at placendi studio — at certe bono animo dictum. — Ecquid porro falsum, impiumve? — at quis reprehendere ausit, quod a sanctitate tanta sit profectum?

Quorsum vero hæc a me dicta spectant? non sane ut abnormem hanc hypocritarum aut fanaticorum eloquentiam commendem: sed ut Ecclesiastes noster intelligat quid industria & labor improbus efficere possit, — & quantum curæ in hac pronuntiandi arte sibi sit impendendum, ut, quos ingenio & dignitate antecellit, ab iisdem officiorum sedulitate & dicendi artificio neutiquam superetur; ut intelligat denique qualis ad fidem dictis faciendam in oratore pietatis genuinæ affectus exigatur, cum ad persuadendum tantam vim habeat illius externa species & simulatio. Non equidem ignoro quam

difficile

difficile ſit de Pronuntiationis juſtæ legibus aliquid certi in univerſum ſtatuere: cum tam diverſa ſint hominum ſingulorum, perinde ac populorum, ingenia, mores, inſtituta, linguarum accentus, auriumque judicia.

Verum enimvero cum Oratio omnis (de ſacra præſertim loquor) vel ad docendum vel ad perſuadendum ſit comparata, habet Eccleſiaſtes noſter, quem potiſſimum reſpiciat, Finem: atque adeo, dum reputat quanta ſit in utramque partem pronuntiationis vis, tum ut pulcherrima quæque dehoneſtentur, tum ut etiam vilia commendentur, diligenter & caute inſtrumento hoc ancipiti utetur; nec per incuriam vel abuſum adminiſtrationes patietur ſibi intercidere irritas, fructuque ſuo & efficacia deſtitutas.

Hui vero, inquies, qualem demum nobis finges Eccleſiaſten? an vero Oratorem? — imo ſane: at neque Scenicum, neque Fanaticum, neque vero perfectum illum *Ciceronianum*: ſed Oratorem Chriſtianum, ſed eum, qui Legati fidelis & Interpretis probi partes tueatur, qui in adminiſtrationibus ſacris omnia pronuntiet diſtincte, graviter, apte: diſtincte, ut ſingula auribus percipi poſſint, — graviter, ut pro rei dignitate audientium animis reverentiæ ſenſus aliquis ingeneretur, —— apte, ut pro materiæ ſubjectæ varietate geſtus vociſque debita confor-

matio adhibeatur; ex quibus id efficitur quod volumus: nempe tantum eloquentiæ, quantum ſimplicitati Evangelicæ conveniat, & ad hominis Chriſtiani οἰκοδομην conducat. Cætera vero artis Oratoriæ ſubſidia vel ornamenta omnia Scenicis vel Forenſibus varie adminiſtranda relinquimus.

Quid igitur de hac recte pronuntiandi facultate ſtatuendum reſtat? en illam in medio poſitam, & facile parabilem! Nequis vero illam omnibus ita innatam eſſe cenſeat, ut ſine Artis præceptionibus & exercitatione aliqua etiam oſcitantibus ſit acquirenda: imo vero caveat potius ne hac in parte ſibi ultro fraudem faciat, ne hæc ipſa facilitatis opinio difficultatem pariat inopinatam, ita ut, quam aſſequi poſſe deſperat, laudem aliquando ſequi deſinat. Quis neſcit ea plerumque neglecta & penitus inculta jacere, quæ uniuſcujuſque arbitrio & libidini permittuntur? Fruſtra facultatis alicujus fructus ſponte enaſci poſtulas: accedat oportet aliqua diſciplinæ cultura: hanc qui neglexerit, ipſum naturæ patrimonium ſibi perdi ſentiet, &, queis recte uti noluit, ingenii vires enervari.

Interim jure mirari ſubit quod inter tot Theologiæ Candidatos tam pauci in pronuntiatione rite moderanda, ſive in veræ eloquentiæ ſtudio verſentur. Quid autem iſthoc eſt difficultatis

tatis & impedimenti? nihil certe e rebus ipſis proveniens; ſed quod ipſi ſibi accerſunt: malum quidem video duplex, tum ex hac tum illa parte obſtare, ſcilicet hinc Deſuetudinem, illinc Conſuetudinem pravam; per alteram facultas debilitatur & fere extinguitur: per alteram vero corrumpitur, & in pejus deflectitur; ita ut difficile ſit oratori futuro an non plura dediſcenda ſint quam diſcenda.

Quis non igitur videt hac in parte Diſciplinam quandam deſiderari tum domeſticam tum etiam publicam? Inter enim ingenuos, qui vocantur, et liberales pleroſque paſſim audias vel pippientes, vel gannientes, vel aliquo modo blaterantes, et quidem impune. Muſicæ quidem veteris, vociſque ad certos canonas modulandæ jamdiu ſtudium exolevit. Jam a pueritia uſque elocutionis corruptæ vitia inopinantibus obrepunt, & in adultis inveteraſcit cacoethes intractabile, ita ut deinceps ægre formetur illa vocis juſta flexio quæ rei ſubjectæ reſpondeat, et, quæ putarant obvia & in promptu, eadem experiundo ſentiant difficillima: itaque ergo inter Theologos tam pauci reperiuntur, qui veram Eloquentiæ laudem ſunt conſecuti.

Maxime vellem ut quæ Eccleſiæ fuerit damno & hominibus Eccleſiaſticis opprobrio atque dedecori, ea non tam verbis quam re ipſa refelli poſſent!

poſſent! Atque adeo nihil video prius potiuſve optandum, quam ut Eccleſiaſtes noſter, antequam in Roſtra proſiliat, inſtitutione aliqua Oratoria ſit imbutus, & in dicendi exercitatione multiplici verſatus.

Jam vero Inſtitutio hujuſmodi ubinam potius celebrari debet quam in iis Literarum ſedibus, quibus, pro more, quicquid eſt honeſtum & laudabile, & bona demum omnia votis precibuſque tribuimus? ubinam Theologiæ ſtudia florere potius quam in his Phophetarum Scholis? ubinam demum ingenii & Eloquentiæ laus eminere potius quam in Athenis? Hinc Eccleſiaſtes futurus ingenii morumque culturam, hinc dicendi præcepta depromat & exempla.

Utinam profecto, Academici, neque hæc neque illa vobis unquam deſint. — Liceat tamen mihi interim, pauca quædam quæ ad hanc rem faciunt, vobis diſquirenda & conſtituenda proponere. — Intelligitis profecto quantum in omni re valeat liberalis inſtitutio & diſciplina; cum in his unice τὸ ἀξιῶμα Academiæ contineri videatis. Intelligitis porro ad adminiſtrationes Eccleſiaſticas rite obeundas quantum valeat illa, quam commendamus, recte *pronuntiandi facultas?* Quid igitur? nonne ex hoc ipſo intelligitis inſtitutionem quandam ſpecialem hac in parte adhiberi, & pro rei dignitate curam quandam idoneam

idoneam impendi oportere? at videte interim quantillum profeceritis: qualis enim apud vos celebratur hujuſmodi diſciplina domeſtica, vel publica? qualis præceptio? qualis dicendi exercitatio? qualis demum æmulatio? At reponi forte poteſt; "Nonnihil eſt in hac parte effectum: "Adoleſcentes enim nobis identidem in Roſtra "prodeunt—Declamationes & Oratiunculæ— "& interdum porro *Sacræ Scripturæ* recitationes "publicæ, & quotidie in Eccleſiis pro more ce- "lebratur Liturgia." — Itane vero? quid igitur? ſatin' hæc putatis ad Eloquentiæ laudem, et Eccleſiaſtæ futuri conſtitutionem? πολλου γε και δει imo vero permultum quiddam amplius deſiderari ſentio. Quid enim illa, quæ in genere diverſo auribus plerunque occurſant, elocutionis vitia commemorem? quid ſibi vult illa vocis ſive compreſſæ muſſitatio, ſive properantis ſubſultans trepidatio, quidvis potius, quam eam, quæ cum vehementia efferri ſolet & debet, Declamationem exhibens? Ut vero miſſa faciam, quæ ad Oratorem Eccleſiaſticum non pertinent, videte potius qualis illa eſt, quæ jactatur paſſim, S. S. recitatio ſpecioſa. Ecquid autem in hac parte efficitur laudabile & præclarum? at vero ea plerumque eſt Recitatorum incuria & negligentia, ut ne affectent quidem. Crederes potius Evangeliſtam noſtrum Evangelii ſui pudere,

cujus

cujus dignitatem adeo non tuetur & commendat, ut etiam imminuat dedecoretque; dum momenti graviſſimi dogmata, in quibus enarrandis facundia nemini deeſſe debet, tam gelide atque hæſitanter & otioſe proponit. Crederes porro *Paulum* diſputantem cauſæ ſuæ diffidere, & argumentationem illi in medio curſu ſubſidere prorſus & languere, nervis omnibus deſtitutam & ſine aculeis inermem.

Quid de Liturgiæ adminiſtratione quotidiana dicam? vereor ſane ne, quod vulgo dici ſolet, hac præſertim in re, ipſa familiaritas contemptum pariat. Quotuſquiſque enim ex hoc opere, quod præ cæteris præcipuum habere debet, aliquam eloquentiæ laudem quærit? Tædet orationis quotidianæ, & cum varietatis & novitatis gratia ſtudium ſimul & æmulatio conſeneſcit. Inde adeo ſine aliquo pietatis affectu plerumque peragitur recitatio: rara eſt pronuntiationis rite moderandæ cura: pudor ille malus obſtat: ſatis eſt culpam vitare poſſe: laudem vero mereri velle, id demum ambitionis aut arrogantiæ loco habetur: atque adeo quicquid eſt facundiæ, quod ſentio quam ſit exiguum, id omne præſtat vocis aut præcipitatæ decurſus inæqualis, aut temperatæ æquabilitas otioſa, aureſque delaſſans monotonia.

Hæc

Hæc a me dicta ita intelligite ὡς ἐπι το πολυ, non ut ſine diſcrimine ad omnino omnes pertinere putem. Liceat interim hoc noſtræ quicquid eſt querelæ ſive reprehenſionis iterare. " Scilicet deſiderari Diſciplinam aliquam ſpecia-" lem, quæ ad adminiſtrationes eccleſiaſticas, " quæ ſentio quam latiſſime pateant, cum laude " ſua ſimul & audientium emolumento obeun-" das, Eccleſiaſten futurum dicendi arte multi-" plici inſtructiorem præſtet." — Qualem vero illam inſtitui velim? non aliam profecto, quam quæ rei ipſius dignitati eximiæ debetur, quæ ſaltem efficiat ut (non dicam ornate ſed) apte, diſtincte, graviter ſacra pronuntiet. Non ſane arduum quiddam et perdifficile poſtulo; ſed id ipſum, quod nullo fere negotio quivis conſequi ſe poſſe ſperat; quanquam, uti jam vidimus, non alia in re magis quam in hac ab oratoribus noſtris fuerit peccatum. Statuimus adeo exercitationem hac in parte ſedulam & frequentem adhiberi oportere, in genere diverſo, prout res exigit, tam publice quam privatim dicendi exercitationem. Hæc enim illud ipſum eſt quod ad animi corporiſque vires confirmandas plurimum confert: exercitatione crebra expeditur linguæ volubilitas: elocutionis habitus pravi emendantur, inſeruntur boni. Hoc autem in ſtudio nequis deſperet, memorabile illud Oratoris

*Attici* exemplum admonet. Profecto tam pronuntiandi quam ſcribendi artifex & magiſtra eſt exercitatio; hac in palæſtra verſetur Eccleſiaſtes futurus; hic quicquid habet facultatum fidenter expromat, vocis ingeniique vires animoſe periclitetur: aurium *Atticarum* judicio ſe ſuaque pudenter permittat, ut ſiquid fuerit vitii, corrigatur; ſiquid laudabile, ut in melius dirigatur; omni demum opera contendat, ut hiſce proluſionibus præparatus & crebro inſtrumentorum uſu peritus aliquando e vita umbratili in ſolem & celebritatem prodeat προς παν εργον αγαθον εξηρτημενος.

Hæc in genere dicta ſunto. Quid autem ſpeciatim de *S.S.* recitatione juſta dicam? quantam hac in parte præ cæteris curam impendi oportere? Pudeat profecto quempiam ad hæc ſacra rudem prorſus & αμυητον accedere, & quæ ſenſibus admirationem, animis reverentiam incutere debent, ea, tanquam levia quædam & inepta, temere & negligenter percurrere. Quin potius Recitator noſter, pro materiæ, in qua verſatur, dignitate ſingulari προπαρασκευην debitam adhibeat: diſcalceatus in ſolo ſacroſancto incedat, priuſquam recitationem publicam aggrediatur. Præcedat oportet ſevera quædam meditatio domeſtica, reique ſubjectæ intelligentia penitior; ita inſtructus & animatus in Roſtra prodeat,

prodeat, ex animo percepta libere proloquatur: neutiquam ſane illi eloquentiæ laudem defore confido. Imo vero Theologo futuro hanc ipſam præparationem magno uſui fore reor, cum & inſtrumenta & ſupellectilem theologicam tam uberem ſuppeditaverit.

Præterea juſtæ pronuntiationi ſubſerviens adhibeatur memoriæ exercitatio: itaque Eccleſiaſtes noſter *S.S.* loca quædam inſigniora in promptu habeat, &, prout res tulerit, tanquam memoriter enuntiata proferat; unde dictis uberior gratia atque auctoritas accedet. Qui memoriter aliquid pronuntiat, hoc commodi habet ut eloquentiæ inſtrumentis omnibus, voce, manu, oculiſque liberius uti poſſit, atque adeo ſententiis quibuſcunque emphaſin addere propriam, & geſtus inſuper decori ſignificatione ſingula commendare. Oratorum quidem & Poetarum elegantiores ſententias multorum memoria teneri & cum laude quadam decantari video: quidni itidem *S.S.* χυρίαν δόξαν hominum memoriæ pari ſtudio inſerantur; præſertim cum in his ſingulare & quiddam præclarius eluceat, nempe conceptuum fulgor atque pondus, & non ſine varietatis gratia ubertas, imo & pluſquam poetica humanoque major ingenio ſublimitas?

Jam demum de *Liturgiæ* pronuntiatione juſta pauca quædam dicenda reſtant. Et hîc profecto

materiam video ſatis uberem magnificamque, in qua rite excolenda & ornanda quicquid eſt oratoriæ facultatis præclare adhiberi poteſt & debet. Atque utinam ſane hac potiſſimum in parte Eccleſiaſtes noſter ſtudium collocaret ſuum, veramque eloquentiæ laudem quæreret, non tam ex ingenii ſui operibus aut concionibus ad populi plauſus captandos comparatis quam ex officiorum rite ordinata adminiſtratione petitam: ut cerni poſſet quantum Eccleſiæ eloquentia publica cuivis privatæ antecellat, & genuinæ pietatis oratio præſcripta oratoris cujuſcunque ambitioſi vaniloquentiæ ſit anteponenda.

Orationes quidem publicas inſtitui, perorantibus præmia proponi, artiſque adeo Oratoriæ ſtudia vigere gratulabundus intelligo: cum ex inſtitutionibus hujuſmodi, quibus adoleſcentium æmulatio excitatur, non exiguus ad Academiam fructus redundaverit. Utinam profecto itidem Oratoribus Eccleſiaſticis noſtris æmulatio incitamentis quibuſdam ſimiliter adhibitis accendi poſſet; ita ut, qui in omni parte officia optime adminiſtraverint, præmiis quibuſdam aut honorifico aliquo teſtimonio inſignirentur; qui vero per negligentiam ſecus fecerint iis aliqua infamiæ nota inureretur; cum rerum ſacrarum contemptione nihil ſit deteſtabilius. — Utut vero hæc fuerint, illud interim optare liceat ut, quiſquis

Ordinum

Ordinum ſacrorum Candidatum ſe ſiſtat, hac in parte probe exercitatus & exploratus accedat: neque ab Epiſcopis ad Sacerdotium admittatur quiſpiam, niſi qui ſaltem legit ut Clericus, ita ut adminiſtrationibus, in quibus verſatur, ſacris & decenter & ad populi οἰκοδομὴν perfungi poſſit: repellatur vero inidoneus quiſque uſque dum in hoc recte pronuntiandi ſtudio, quantum ad rem ſatis eſt, profecerit. Ex diſciplina hac ſalubri fructus non exiguos ad Academiam derivari poſſe video. Theologiæ ſtudioſi & Eccleſiaſtæ futuri, hoc documento admoniti, his ſtimulis excitati, ad eloquentiæ Eccleſiaſticæ ſtudium ſedulo ſe conferent: ingenii vires, quas libido vana diſſipat, aut deſuetudo hebetat, evocabit acuetque neceſſitas: excutietur ille pravus pudor, qui dicendi facultatem debilitat obruitque, & illa demum, quæ in rerum ſacrarum opprobrium crebro objicitur, ſacrificulorum ſive faſtidioſa levitas ſive ſuperba quædam negligentia: ita denique Liturgicis adminiſtrationibus quibuſcunque ſua conſtabit reverentia, dignitas, atque gratia.

Verum inſuper & hac etiam in parte *memoriæ* exercitationem ſedulam adhiberi velim. Mirum eſt ad affectus movendos orationis extemporaneæ ſpecies ipſa quantam vim habeat: quod quidem in ineptis illis Concionatoribus circumforaneis

foraneis cernitur, quibus adeſt alia commendatio plane nulla.

*Paulum intereſſe cenſes ex animo omnia*
*Ut fert natura, facias, an de induſtria?*

Quicquid ſponte pro re nata aut ex meditatione diſſimulata profluere videtur, id plerumque audientibus admirationem parit plauſumque. Quamobrem Eccleſiaſten noſtrum in hoc dicendi artificio prorſus rudem eſſe nollem: nollem ſane ut vultu immoto oculoque irretorto ſemper hæreat defixus; imo vero hæc ſervitutis vincula & elocutionis liberæ impedimenta prorſus amovenda cenſeo: vellem potius ita animo imperet ſuo ut Liturgiæ particulas quaſdam eximias memoriter perceptas in promptu habeat, prout res tulerit, publice pronuntiandas; ita ut non tam ex præſcripto, quam ex animo & motu quodam ſpontaneo, perorare videatur: hinc elocutioni vis accedit acrior, & varietas emphatica: hominumque oculis atque auribus gratior & πιθανωτερη oratio ſe inſinuat. — Et hujus quidem rei ipſi exemplum vidimus; hominem vidimus aliquando timidum & verecundum, facultatibus diffidentem ſuis, gelide & hæſitanter, vultu ſimul & voce ſubmiſſa, e ſcriptis neſcio quid muſſitantem: eundem deinde vidimus, cum res coegerit, ſine ſcriptorum ſubſidio, ſui ingenii opibus unice fretum, ore erecto, voce elata, geſtuque

tuque liberali in hominum celebritate ampliſſima cum laude ſumma animoſe perorantem. Uſque adeo valet ad facultatem oratoriam excitandam & ſuſtinendam hæc memoriæ excitatio, & cum neceſſitate conjuncta fiducia.

Quæ jam diximus etiam ad Eccleſiaſtæ noſtri *concionantis* officia pari jure pertinere ſentio: ſed ne hac de re plura a me commemorentur, efficit illa, quam Appendicis hujuſce comitem ſubnexi-mus, Epiſcopi Roffenſis ad Clerum Paræneſis admiranda, quæ quidem Eccleſiaſtæ in hac parte officia & plenius præcepta & luculentius deſcripta exhibet, quam oratio mea.

Tu interim, Lector, aliquando Eccleſiaſtes futurus, hac a me ad rem tuam bono animo dicta benignus accipe. Quæ in inſtitutionibus Academicis deſiderari viderim, ea diſſimulare nefas putavi; cum nihil laudabile illic deeſſe vellem, ubi cupio omnia eſſe perfectiſſima: &, quæ porro tibi documento & aliquatenus uſui fore crediderim, ea libere ſubmonui —

*—— ſiquid noviſti rectius iſtis,*
*Candidus imperti: ſi non, his utere mecum.*

*Quæ*

*Quæ de pronuntiatione juſta ſive recitatione S.S. in Poemate* quodam præcepta ſunt aut deſcripta, pauca quædam libet hic aſcribere.*

— Talis eras, *Iſaia* — ſed ô! tua ſcripta legenti
Quis Seraphus adeſt, admoto cæli us igne
Inſpirans animos, purgataque labra reſolvens?
Ne meus hac peccet deceptus parte Sacerdos
Prava ſequens exempla, Deoque indigna loquatur,
Vel cunctanter humi ſerpens, vel inania captans
Nubila: grandiloqui ſed mentem animumque Prophetæ
Arripiat transfuſum, & ſenſibus hauriat imis
Pectoris interiora petens, & ſe quoque fingat
Afflatum propiore Deo — ſic denique juſſam
Dicta fidem faciunt, & habet facundia laudem.
Ah ne magniloquæ violetur gloria linguæ,
Nec ſibi diſſimilis, dum perditur ore Legentis,
Languida fraudatam ſententia deſerat aurem!
O tua vivida vis atque entheus excitet ardor
Dictantem tua verba, & te tibi reddat! &c.
Sic meus Orator dicendi quærat honorem:
Non ut Rhetorica ſpectabilis arte Theatris
Invideat, magnoque leves cum pondere nugas
Proferat in ſcenam, populumque oblectet hiantem,
Voce manuque loquax, & plauſum captet inanem:
Verum ut id omne Deo ſubmittat, quicquid et artis
Jactat & ingenii, divinaque verba decoro
Conſcius ore ſonet, ſecernens ſacra profanis,
Majoreſque animos attollat, et imperet auri. —
Quiſquis es, hæc recitans, ades ô! mihi ſæpe monendus:
Ipſum Te reverere, Deum reverero loquentem
Ore tuo — tibi quis meditanti talia ſenſus?
Nonne ardent tibi corda pio ſuffuſa calore
Præſentem confeſſa Deum? Quid? Lingua recepti
Interpres ſenſus, quo more modoque regenda,
Nunc ſtimulos nunc fræna vocans, ut conſona voci
Reſpondens avidam ſententia repleat aurem?
Ut neque vis, nec honos dictis neque gratia deſit?

10 El. 58

* *Hieron. Paraen. Ruſt.*